CONIECTANEA LATINA.

Jacobus Jacobus

J. J. CORNELISSEN

CONIECTANEA LATINA.

DAVENTRIAE

APUD A. TER GUNNE

MDCCCLXX.

PATRI . DILECTISSIMO
INSTITVTIONE . AVCTO
RITATE . EXEMPLO . OPTI
ME . DE . SE . MERITO . HAS
STVDIORVM . PRIMITIAS
IN . LVCEM . EDITAS . PV
BLICVM . PIETATIS . DO
CVMENTVM . EXSTARE
VOLVIT . SCRIPTOR

2 3

L. S.

Continetur hoc libello, lector amice, annotatiuncularum farrago ad scriptores aliquot Latinos, quorum singulos locos ad criticam rationem corrigere tentavi. Si forte unam alteramve paginam vel cursim transire dignatus eris, non alienum esse videbis me, vel in commendationem, vel in excusationem potius, paucis consilium exponere, quod in illis colligendis secutus sim. Haud dubie enim miraberis, quare eos potissimum scriptores a corruptelarum sordibus purgaverim, circa quos aliquanto rarius criticorum studia versentur. Sic habeto, studiorum me cursu forte ad Latinarum literarum monumenta delatum esse, quae Caesarianis florerent temporibus. In quibus quum aliquamdiu haererem, praeter cetera illorum temporum homines et res, mores et studia, cultum denique omnem humanum civilemque propius cognoscere studebam. Quae etsi per virorum doctorum studia permultis locis ad liquidum explorata sunt, tamen multo-

rum etiam investigationibus latissimum campum offerunt. Legenti autem quoties locus occurrebat, qui sententiam vel paulo obscuriorem, vel prorsus impeditam praebere videbatur, hunc sedulo annotavi, ita tamen ut simul criticam facultatem, si qua forte mihi inest, eo emendando tentarem.

Quorsum haec omnia? inquis. — Quia plurimum esse discriminis existimo, utrum aliqua res propositum sit, an propositì alterius accessio. Longe sane abest, ut criticam artem, in qua tam multi viri docti operam et curam ponunt prope omnem, rem subsicivi, ut aiunt, operis habendam putem; nunc vero non ipsam petivi. Statio mihi, non portus fuit. Quibus monitis aliqua spes me tenet, fore ut aculei iudicii tui in libello meo diiudicando, si evelli extorquerique non possint, paululum saltem hebetentur et retundantur.

Primum omnium L. Annaeum Senecam in manus sumpsi. Apud quem quum ingens rerum copia inveniatur ad vitae Romanorum privatae cognitionem pertinentium, tum ad verum omnino eius scripta conventuum illorum et circulorum ingenium exprimere videntur, in quibus viri et feminae nobilissimi, ut de unaquaque re, ita de philosophia quoque desultoria quadam levitate fabulari magis, quam exquisite et accurate disputare solebant. Editione utebar, quae a. 1852 F. Haasii cura

Lipsiae apud Teubnerum prodiit, quae etsi multis rebus laude dignissima iure ducitur, tamen non pauca menda continere mihi videbatur, quae editorem fugere non debuerant, eum dumtaxat, qui sanam rationem rectumque iudicium pluris facit, quam codicum lubricam saepe et incertam auctoritatem. Prima quidem lectio tam uberem adversariorum dedit proventum ad locos, quos emendatione vel maxime indigere opinabar, ut satis luculento libello implendo fere sufficere viderentur. Non tamen eo processi temeritatis, ut collectam materiem continuo vulgarem. Immo satius esse duxi Fickerti editionem inspicere, in qua tam varias codicum scripturas, quam coniecturas doctorum annotatas esse sciebam. Tunc iterum vidi aliud esse antiqui scriptoris editionem curare, aliud hoc agere, ut quam emendatissime prodeat in lucem, ac ne Haasium quidem — quod pace tanti viri dictum sit — omnem vituperationem evitavisse, in quam editorum haud exiguus numerus incidere soleat, qui, etiamsi meliora interdum vident, tamen deteriora saepius sequuntur. At simul Fickerti editione cognita vano me falsoque quodammodo gaudio exsultavisse intellexi. Ecce enim, longe maiorem emendationum partem, quas nimia mei aestimatione, pueriliter sane ductus, me primum fecisse opinatus essem, iam olim virorum doctorum sollertia factas esse vidi,

quamquam prava editorum pertinacia in libros nondum receptae erant. Ubi laetissimam messem me facturum speraveram, ibi singula velut spica relicta videbam. Non tamen haec frustratio a consilio semel suscepto deterrere me potuit, nonnulla ad Senecam adversaria emittendi. Nam quum meam opinionem tam multis locis tot virorum me doctiorum, qui idem viderant, auctoritate confirmatam vidissem, levis etiam spes me tenebat, fore ut inter miseras prioris copiae reliquias aliquid saltem superesset, non ab omni fortasse parte improbandum. Quae utinam non plane ad vanum irritumque redigatur!

Quaestio autem oriebatur, quo potissimum modo propositum peragerem. Ita pro! philologia in patria nostra languere, fere dixerim, et torpere videtur, ut ne ephemerides quidem, in quibus de antiquarum literarum cognitione atque ratione agatur, vim acquirere possint vitalem. Quod ni ita esset, virorum doctorum, qui illas edendas curarent, iudicio aliquem studiorum fructum committere posses, eosque rogare, ut, si dignus esset, qui reciperetur, locum illi concedere vellent. Ut nunc res sese habent, proprio Marte agendum est, quod tironi utique, qualem ego me fateor, periculosae plenum opus aleae haud immerito dixeris. Accedit, quod, etiamsi forte commentationem habeas satis amplam, quae in

ephemerides recipiatur, tamen infra iusti voluminis modum ac circuitum plerumque manet. Cui incommodo equidem ita subvenire conatus sum, ut Senecae comites adiungerem alios scriptores, quorum locos nonnullos aliquando correxisse mihi visus essem.

Praemisi igitur L. Annaeum Senecam et, qui fere eodem tempore vixit scripsitque, Petronium Arbitrum. Quorum scripta, sive ad argumentum, sive ad formam respicias, quamquam prorsus inter se disparia sunt et dissimilia, hoc tamen commune habent, quod media aetate omnium studiosissime in monasteriis lectitata sunt. Alter enim summa diligentia tractatus est a viris sanctis et severis, in quorum animis rigida Stoicorum sapientiae praecepta, cum Christianorum disciplina multis locis optime congruentia, pios sensus excitabant; alter eorum potissimum manibus tritus est, qui ad voluptates propensiores, lepidi quidem et faceti, sed lascivi simul et impudici libelli lectione stimulabant libidinum impetus. Misere mutilatus et laceratus uterque e monachorum manibus evasit. Ex Senecae libris, etsi satis magnam partem mancis et decurtatis, aliqui saltem integri manserunt, at Petroniani operis fragmenta tantummodo et excerpta aetatem tulerunt, tam misere turbata et depravata, ut, quomodo olim cohaeserint, saepenumero vix deprehendas, de recta autem

sententia restituenda multis locis plane desperandum sit.

Petronium excipit Plinius Minor, cuius Panegyricus, quum putidi nescio quid et molesti habeat, tum vero Epistulae magnam omnino delectationem afferunt. Legentibus enim vitae nobilissimorum Romanorum quotidianae tam dilucide expressam imaginem praebent, ut ne spectantibus quidem clarior esset futura. Plinii scripta multo meliore quam Petronii habitu a mediae aetatis hominibus nobis tradita sunt. Nam, si Panegyrici aliquot particulas excipias, omnia solida atque integra servata sunt et oratio non multa eaque leviora omnino menda contraxisse videtur.

Dialogum de Oratoribus, qui a Tacito scriptus esse vulgo fertur, et Suetonii Vitas strictim et cursim attigi tantum. Paulo diutius in Historiae Augustae Scriptoribus commoratus sum, non hercle quod ex eorum descriptionis orationisve genere aliqua delectatione alliciebar, quo quid quaeso aridius et ieiunius excogitari potest? Sed hic quoque ad ipsas, quas enarrant, res, neque inficetas interdum et cognitione saepe dignissimas, in primis animum adverti, ita tamen ut locos, turpi mendo obscuratos, obiter notarem. Si quis autem, criticae artis me peritior, dedita opera eosdem scriptores excutere velit, ei patentem campum promitto, in quo ingenii acumen et sagacitatem exerceat.

Agmen claudunt Cicero et Caesar, ad quos paucula adversaria velut in cumulum addidi. His benignam legentium aestimationem vel maxime flagito, quippe quae ceteris aliquanto diutius in scriniis latuerint. Iam eo enim tempore elucubrata sunt, quo fere peregrinus atque hospes ad literarum Latinarum studium accederem.

De via et ratione, quam in adversariis faciendis secutus sum, longus esse nolo. Quum non eas semper scriptorum editiones ad manum haberem, in quibus variae codicum lectiones fideli constantia indicarentur, nescio an multa protulerim, reprehensionis ansam iis praebentia, qui melioribus praesidiis instructi, ad eosdem scriptores critica ratione tractandos se accingant. Nec deerunt, qui ob id ipsum frontem contrahant levique me brachio obiurgent, quod vel sic antiquorum scriptis purgandis manus admovere ausus sim. Satis multi enim homines sunt, hebetis tardique ingenii, qui a veterum librorum scriptura vel transversum unguem discedere verentur, etiamsi somniculosi vel temulenti librarii incertae manus haud dubia interdum vestigia deprehendi possunt *). Alius aliud, ego rectam rationem et integram sensumque communem certiores omnino firmioresque viae duces

*) Cf. Wattenbach, Anl. z. Lat. Palaeographie p. 33, ubi librarii exemplum citatur ingenue scilicet profitentis: "Multum male scripsi, quia multum bene bipsi."

habenda existimo, quam dubiam plerumque et ancipitem codicum fidem. Et erunt fortasse, qui acriter me vituperent, quod tam temere et imprudenter in critica versatus sim, ut qualis ficti Archetypi antiquitus scriptura fuerit fere nusquam investigare curarem. Hos reprehensores legere velim, quae Cobetus, carissimus praeceptor, praeclare hac de re scripsit (in Hyperidis Orationis Funebris recensione p. 26 sqq). Quo facto nescio an Archetyporum auctoritatem aliquanto minoris aestimaturi sint.

Quum nec scribere tantum nec tantum legere, sed invicem huc et illuc commeare instituissem alterumque altero temperare, multum abesse videbis, ut ad eandem normam direxerim omnia. Interdum fusius quidem et latius disputare conatus sum, plerumque vero paucis rem absolvi, prout vel ipsa res postulare visa est, vel animo morem gerere placuit. Ita factum est, ut saepius quaestionem singulis verbis moverem magis, quam rite et ordine excuterem. Quam ob rem, quin in quorundam reprehensionem incurram, fere non dubito. Sunt enim, sat scio, qui nihil quidquam probare soleant, nisi quod minute et concise tractatum, atque anxia quadam et morosa subtilitate elaboratum elucubratumque sit. Ego vero, forsitan fallar, molestum verborum anfractum taedium legentibus et fastidium nimis saepe

afferre puto. At vehementer interdum vereor, ne exili brevitate inductus, adversaria mea ab inepto quodam et fastidioso castigatore profecta credas, qui alienas opiniones nauci non habeat. Velim autem tibi persuadeas, nihil magis me cupere, quam ut a turpis arrogantiae et insolentiae suspicione abhorream, illorumque me sententiae assentiri, qui in studiis timorem magis homines quam fiduciam decere existiment.

Quoties commodum visum est, coniecturas, quibus alii locum notatum emendare conati sunt, iuxta meam commemoravi. Quod si quando neglexi, ne inde quidem efficias, quaeso, me aliorum opiniones prae mea despicere et contemnere. Immo vero, si quae ego proferrem, aliquam probabilitatem haberent, hoc nihilominus elucere putavi, etiamsi aliorum iudicia redarguere supersederem. Saepius autem silentium meum ignorationi tribuas velim eorum scriptorum, quibus philologorum studia statis temporibus in lucem proferri solent. Quae quia, nisi admodum raro, inspicere non licuit, fieri potest, ut, quae ego primum vidisse mihi viderer, iam alios ante me non fugerint. Quod verbo monere non prorsus supervacaneum esse facile mihi dabis, quum homines esse reputaveris pusilli animi et contracti, qui sua scrinia compilata esse clamitent, si cui forte idem quod ipsis in mentem inciderit.

Illud extremum est, mi lector! ut asseverem tibi, ne minimam quidem spem me fovere, omnibus emendationibus album te esse calculum adiecturum. Etsi enim haud exiguus locorum numerus est, in quibus corrigendis criticam facultatem expertus sum, tamen, quid verus et sincerus literatus iudex praestare debeat, adhuc per caliginem video. Itaque fieri poterit, ut nonnulla deprehendas, in quibus vel toto coelo erraverim, vel quae me ut mea fefellerint. Sit ita. Dummodo interdum saltem rem acu me tetigisse agnoveris, mihi satis superque erit.

Longiore praefatione te obtundere nolo. Si enim plura fabularer, magnopere verendum esset, ne ea ipsa, ad libelli mensuram comparata, iustum modum excederet.

Scribebam Daventriae, ipsis Idibus Aprilibus a. 1870.

L. ANNAEUS SENECA.

DIALOGORUM LIBER I, S. DE PROVIDENTIA.[1]

C. 4, 15: *Nulla* [Germanis] *domicilia, nullaeque sedes sunt, nisi quas lassitudo in diem posuit, vilis et hic quaerendus manu victus, horrenda iniquitas coeli, intecta corpora.* — Pro *hic quaerendus* corrige *acquirendus.* Acquirendi verbum saepissime valet multo labore aliquid parare. Cf. Tac. Ann. 12, 21; 15, 37; 16, 17; Hist. 1, 17.

C. 6, 9: *ipsum illud quod vocatur mori... brevius est, quam ut sentiri tanta velocitas possit: sive fauces nodus elisit, sive spiramentum aqua praeclusit, sive in caput lapsos subiacentis soli duritia comminuit, sive haustus ignis cursum animae remeantis interscidit cett.* — Nusquam legere me memini, aliquem ignis haustu mortem sibi conscivisse. Sed satis superque notum est, sanguinem taurorum, quia, ut Plinius (H. N. 11, 90) ait, celerrime coeat atque durescat, pestiferum potu habitum esse, eiusque haustu et Psammenitum (Herod. III, 15) et Themis-

[1] L. Annaei Senecae opera ed. F. Haase, Lipsiae 1852.

toclem (Arist. Eq. 84, Cic. Brut. 11, 43) vitam suam finivisse antiquitus esse creditum. Quae cum ita sint, corrigendum existimo: *sive haustus sanguinis cursum animae remeantis interscidit.*

DIALOG. LIB. II S. DE CONSTANTIA SAPIENTIS.

C. 18, 1: *C. Caesar inter cetera vitia, quibus abundabat, contumeliosus mirabiliter ferebatur omnes aliqua nota feriendo, ipse materia risus benignissima.* — Lectionem dedi, quae teste Gronovio in Codd. invenitur. Ipse Gronovius recepit ex libris Erasmi et Lipsianis: *omnibus aliqua nota feriendis*, quod Latinius dictum putavit pro vulgari *omnes feriendo.* Minime placet haec emendatio. Praeterquam enim quod *omnibus* pro *omnes* nimis audacter substitutum puto, locutio *contumeliosus mirabiliter ferebatur* pro *valde contumeliosus dicebatur* a Senecae scribendi genere abhorret. Haasius edidit: *ferebatur omnis aliqua nota feriendi.* Quam lectionem extra meum saltem cadere intellectum candide confiteor. Potius crediderim, Senecam scripsisse: *C. Caesar ..... contumeliosus, mirabiliter furebat in omnes aliqua nota feriendos, ipse materia risus benignissima.* Cui lectioni quam maxime favere mihi videntur, quae deinceps in hoc Cap. leguntur.

DIALOG. III S. DE IRA LIB. I.

C. 1, 7: *Nec ignoro ceteros quoque adfectus vix occultari, libidinem metumque et audaciam dare sui*

signa et posse praenosci, neque enim ulla vehementior intra cogitatio, quae nihil moveat in vultu. — Facile apparet, restituendum esse *concitatio* i. e. commotio.

C. 2, 1: *Iam vero si effectus* [irae] *damnaque intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis caedes ac venena et reorum mutuas sordes et urbium clades et totarum exitia gentium cett.* — V. *mutuas* satis absurdum mihi h. l. videtur. Nihil aliud notare potest nisi sordidam vestem, qua rei scilicet se invicem induebant; quo quid quaeso ineptius excogitari potest. Equidem *moestas* praetulerim coll. Prop. 3, 4, 13; Senec. Oed. 2.

C. 4, 3: *Quaedam* [irae sunt] *in verborum maledictorumque amaritudinem effusae, quaedam ultra querelas et adversationes non exeunt.* — *Adversatio* praeter h. l. nusquam legitur; lexicis fidem si habeas, idem notat, quod concertatio s. iurgium. Neque dubium est, quin eiusmodi voc. sententia flagitet. Vide autem, an non *adversationes* ex *altercationes* depravatum sit.

C. 10, 1: *Ideo numquam adsumet ratio in adiutorium inprovidos et violentos impetus, apud quos nihil ipsa auctoritatis habeat ...., nisi pares illis similesque opposueris, ut irae metum, inertiae iram, timori cupiditatem.* — Miror editores nondum vidisse in *inertiaeiram* latere *inertiae industriam*, quod sententia flagitat. Inspicias quaeso proxime sequentia: *quatiatur necesse est fluctueturque ... qui fortis esse nisi irascitur non potest, industrius nisi cupit, quietus nisi timet.*

C. 16, 5: *Itaque, etsi perversa induenda magistratui vestis et convocanda classico concio est, pro-*

cedam in tribunal non furens nec infestus, sed voltu legis et illa sollemnia verba leni magis gravique quam rabida voce concipiam. — Non intellego *voltu legis.* Estne voltu legitimo, an voltu, qualem magistratum decet? Si hoc recte, qualis quaeso est? Haereo. Ad levem correctionem recurrendum videtur Promittit ni fallor, se placido vultu verba sollemnia concepturum coll. 19, 2: [iudicis] *tum maxime placidus esse debet et in statu voltus, cum magna pronuntiat.* Corrige ergo *voltu lenis. Placidus* et *lenis* prorsus idem valent et vulgo uno tenore usurpantur et ab aliis et ab ipso Seneca. Cf. Dial. V. 5. 1. Deinde vero pro *leni* haud inepte *lenta* substitueris.

C. 20, 7: *Terribilia enim esse et tumultuosa et exitiosa possunt: magnituninem quidem, cuius firmamentum roburque bonitas est, non habebunt. ceterum sermone, conatu et omni extra paratu facient magnitudinis fidem.* — Pro *conatu* substituendum videtur *ornatu.*

DIALOG. LIB. V S. DE IRA LIB. III.

C. 8, 7: *Difficilis quoque et indomita natura blandientem feret: nihil asperum territumque palpanti est.* — Pro *territumque* fuere qui *tetrumque* mallent. Utrumque vero displicet. Corrige *horridumque* et sanam, credo, lectionem habebis.

Eod. cap. § 2 legitur: *impudicorum coetus fortem quoque et si liceat virum emolliit.* — Vv. *si liceat* quia omni sensu careant, fuere qui *siliceum* i. e. durum correxerint. Aureum certe vocabulum, si contextus

rationem habes, sed quod translata significatione non nisi apud Laevium legebatur, quam ob rem A. Gellio (19, 7, 10) interpretatione egere visum est. Equidem, paulo, fateor, audacius, *solidum* scribendum conicio.

C. 33, 1: *propter* [pecuniam] *uxorum maritorumque noctes strepunt litibus et tribunalia magistratuum premit turba, reges saeviunt rapiuntque et civitates .... evertunt.* — Corrige *rabiuntque* coll. Ep. 92, 16: *Videbis eosdem intra exiguum tempus acerrime ridere et acerrime rabere* i. e. furere.

DIAL. VI S. AD MARCIAM DE CONSOLATIONE.

C. 1, 2: *mortem A. Cremutii Cordi parentis tui quantum poteras, inhibuisti: postquam tibi adparuit inter Seianianos satellites illam unam patere servitutis fugam, non favisti consilio eius, sed dedisti manus victa fudistique lacrimas. palam et gemitus devorasti quidem, non tamen hilari fronte texisti et hoc illo seculo, quo magna pietas erat nihil impie facere.* — Offendunt vv. *palam et gemitus devorasti quidem*, nam non potes non rogare: quid ergo Marcia devoravit, i. e. abscondit et intra se continuit, praeter gemitus? Et responsum, credo, frustra quaeris. Possis conicere scribendum esse *fudistique lacrimas palam. et gemitus cett.*, at talem luctus ostentationem Marciae imputare nolim, cum praesertim gemitus devoraverit. Potius crediderim *palam* spuriam vocem esse, Senecam re vera scripsisse: *planctus et gemitus devorasti quidem.* Cum parentis, ita scribit, consilium mutare non potuisses, summisso

sedatoque animo dolori indulsisti, abstinuisti quidem a luctus ostentatione, sed non, quod fere fieri solet hac aetate, impietatis plena, hilari fronte luctum texisti. *Gemitus* et *planctus* uno tenore usurpata invenies a Tac. Ann. I, 14; Senec. Troad. 902.

C. 1, 3: *ingenium patris... in visum hominum reduxisti et a vera illum vindicasti morte ac restituisti in publica monumenta libros, quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat. Optime meruisti de Romanis studiis, magna illorum pars arserat. optime de posteris, ad quos veniet incorrupta rerum fides.* — Offendunt verba *magna illorum pars arserat.* Scilicet arserat magna pars studiorum Romanorum! At, inquit, *studia* tropice hic scriptum est pro *literae*, quae magnam fecerunt iacturam Cremutii Cordi scriptis abolitis, quae per Aediles cremanda Patres censuisse Tacitus (Ann. IV, 35) docet. Fac revera *studiis* h. l. significari *literas* at minime arserant Cordi libri, nedum pars illorum, nam idem Tacitus auctor est, eos mansisse occultatos, quod confirmatur Suetonii (Calig. 16) et Dionis Cassii (57, 24) testimonio. Apage ergo ineptias! Scripsit Seneca *optime meruisti de Romanis studiis, magna illorum pars erat;* i. e. optime meruisti de Romanorum literarum studiis, in quibus primarium Cordus locum obtinebat. Cf. 18, 7: *et spectator et ipse pars magna conantium*; 2, 5: *carmina... aliosque studiorum honores reiecit.*

C. 1, 8: *volnerum... sanitas facilis est, dum a sanguine recentia sunt.* — Lege: *sanatio.*

C. 4, 2: [Iulia Augusta] *in primo fervore, cum maxime inpatientes ferocesque sunt miseriae, consolareo philosopho viri sui praebuit.* — Haasius edidit

consolatori se Areo .... praebuit. Quod nescio an nimis audacter correctum sit, certe ambiguum quodammodo sensum praebet. Potius Senecam scripsisse existimaverim *consolari se Areo ... praebuit.* Verbi *praebere* c. inf. argentea latinitatis aetate frequens usus est.

C. 6, 2: *si sors inmota et in aeternum fixa nulla miseria mutatur et mors renuit quicquid abstulit, desinat dolor, qui perit.* — Vide sis an non *retinet* emendatior et sanior lectio sit.

C. 8, 2: *Manet quidem tibi, Marcia, etiam nunc ingens tristitia ... non illa concitata, qualis in illa fuit, sed pertinax et obstinata.* Iam olim editores vitiosum esse viderunt *illa.* Gronovius satis temere *initio* edidit. Corrigere, opinor, debuerat *qualis in Iulia fuit* coll. quae leguntur c. 4.

C. 18, 5 [Offerent se oculis tuis] *adiuta fructu seges et arbusta sine cultore feritatis.* — Miror Haasium ineptam lectionem *fructu* recepisse. Iam editionem Gronov. habere video, quod unice verum mihi videtur *cultu.* Sed ne *arbusta* quidem ferendum puto. Numquam enim fieri potest, ut *seges* et *arbusta* recte inter se opponantur. Quid re vera scribendum sit docet locus in Dial. VII, 9, 2: *Sicut in arvo, quod segeti proscissum est, aliqui flores internascuntur, non tamen huic herbulae, quamvis delectet oculos, tantum operis insumptum est.* Corrige igitur *adiuta cultu seges et herbulae sine cultore feritatis.* Quo facto quod in Haasii editione legitur, *fer*[til]*itatis* vitiosum esse videbis.

C. 26, 4: *Quid dicam, nulla hic arma mutuis furere concursibus ... nihil in obscuro, detectas men-*

tes et aperta praecordia et in publico medioque vitam et omnis aevi prospectum venientiumque? — Qui habet omnis aevi prospectum, et venientia, opinor, praevidet. Reicienda ergo erit spuria vox *venientiumque.* Nec magis placet quod nonnulli dederunt *eventumque.* Nisi quid melius, *scientiamque* propono.

DIALOG. LIB. VII, S. AD GALLIONEM, DE VITA BEATA.

C. 17, 2 *Quare cultius rus tibi est, quam naturalis usus desiderat? cur non ad praescriptum tuum coenas? cur tibi nitidior supellex est? cur apud te vinum aetate tua vetustius bibitur? cur arvum disponitur? cur arbores nihil praeter umbram daturae conservantur?* — Fieri non posse existimo, ut *rus* h. l. probetur. Absurdum enim est, inter eas res, quae luxuria depravantur, primo loco cultius rus commemorari, cum praesertim deinceps arvi dispositi expressa mentio facta sit. Haud dubium igitur est, quin iterum librarii cuiusdam calami lapsus in culpa sit. Vide quaeso, an non Seneca scripserit: *Quare cultius corpus tibi est, quam naturalis usus desiderat.* Facillime opinor CP̄VS in RVS depravari potuit.

C. 22, 1: *Quid autem dubii est, quin haec maior materia sapienti viro sit animum explicandi suum in divitiis quam in paupertate? cum in hac unum genus virtutis sit non inclinari nec deprimi, in divitiis et temperantia et liberalitas et diligentia et dispositio et magnificentia campum habeat patentem.* Quicunque paulo propius ad scriptoris volun-

tatem accesserit, facile opinor videbit *munificentia* corrigendum esse.

DIALOG. LIB. IX S. DE TRANQUILLITATE ANIMI.

C. 2, 1: *Quaero mehercules iam dudum, Serene, ipse tacitus cui talem affectum animi similem putem: nec ulli propius admoverim exemplo quam eorum qui ex longa et gravi valitudine expliciti motiunculis levibusque interim offensis perstringuntur et, cum reliquias effugerunt, suspicionibus tamen inquietantur medicisque iam sani manum porrigunt.* — *Reliquias* valitudinis effugere num recte Latine dici possit non satis scio; dubito tantum. Sed haud dubitanter affirmaverim eum, qui motiunculis levibusque offensis interim perstringatur, nondum valetudinis reliquiis liberatum esse. Is vero quamquam non pristinam sanitatem receptus est, tamen non amplius vitae timet. Quae quum ita sint, non RELIQVIAS nostrum, sed PERICVLA scripsisse suspicor.

C. 10, 4: *Exiguae saepe areae in multos usus describentis arte patuerunt et quamvis angustum pedem dispositio fecit habitabilem.* — *Pedem* qui h. l. tuentur, pedem areae intelligendum esse contendunt. *Pedem* vero translate dici posse pro arto aliquo spatio minime credo; si autem potest, *angustum* prorsus insulse ad *pedem* additum videtur. Ni fallor legere praestat *quamvis angustam sedem.*

DIALOG. LIB. X S. DE BREVITATE VITAE.

C. 3, 2: *Agedum, ad conputationem aetatem tuam revoca. dic, quantum ex isto tempore creditor, quantum amica, quantum rex, quantum cliens abstulerit, quantum lis uxoria, quantum servorum coercitio, quantum officiosa per urbem discursatio.* — Regis i. e. patroni vel amici potentis commemorationem quominus ab ipso Seneca factam esse credam obstat, quod inter eas res, quae occupati hominis tempus consumant, deinceps enumeratur officiosa per urbem discursatio. Quo modo enim rex multum temporis auferre dici potuit? Quia cliens, per urbem discursans cotidie mane salutationis officium ei praestare deberet. Parum dubito, quin *rex* librario debeatur, ipse autem Seneca scripserit *reus* coll. 7, 7: *ille reus quot dies abstulit? cett.*

C. 9, 2: *Clamat ecce maximus vates et velut divino ore instinctus salutare carmen canit:*

optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
prima fugit.

Iterum hic locum habemus, quales aliquot iam annotavi et annotabo in sequentibus, cuius sententia interiit, quia pauculae literae librariorum neglegentia interciderunt. Vates enim divino *ore* instingui nullo modo, opinor, potest, sed instinguitur divino fur*ore*. Hoc igitur restituas velim coll. Cic. de Div. I, 2, 31 et 37.

C. 12, 3: *Quid, illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multae horae transmittuntur, dum decerpitur, si quid proxima nocte succrevit, dum de singulis capillis in consilium itur, dum aut disiecta*

coma restituitur aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur? quomodo irascuntur si tonsor paulo neglegentior fuit, tamquam virum tonderet? — Vel semel haec legere sufficit, ut intellegas vitiosum esse h. l. *virum.* Correctio autem facilis est. Etenim belli illi homunculi irascuntur, si tonsor ita neglegenter officio suo functus sit, ut diceres, eum opinatum esse se non homini, sed ovi operam navare, neque capillum se, sed *villum* tondere.

C. 14, 4: *quam multi hesterna crapula semisomnes et graves, illis miseris suum somnum rumpentibus, ut alienum exspectent, vix adlevatis labris insusurratum millies nomen oscitatione superbissima reddent?* — Etiam h. l. vocem mihi deprehendisse videor somniantis librarii culpa decurtatam et mutilam. Qui enim quaeso fieri potest ut aliquis oscitet, et tamen vix labra adlevet? Apage ineptias, et ocius Senecae, quod re vera scripsit, *palpebris* restitue. Etenim superbus patronus ne semel quidem misellum clientulum aspicere dignatur.

DIALOG. LIB. XII S. AD HELVIAM MATREM, DE CONSOLATIONE.

C. 7, 9: *Transierunt deinde Ligures in* [hanc insulam], *transierunt et Hispani, quod ex similitudine ritus adparet: eadem enim tegmenta capitum idemque genus calciamenti, quod Cantabris est.* — Facillime apparet *ritus* vocem spuriam esse et mutilam. Simplex autem emendatio est. Si enim *vestitus* correxeris, loci sententia in integrum restituta erit.

Prorsus simili vitio laborat locus eiusd. Dial. 17, 1: *Scio rem non esse in nostra potestate nec ullum adfectum servire, minime vero eum, qui ex dolore nascitur.* — Sententia satis aperte docet *scio* dolo*rem non esse* olim scriptum fuisse.

DE CLEMENTIA.

I, 1, 3: *In hac tanta facultate rerum non ira me ad iniqua supplicia conpulit, non iuvenilis impetus... non ipsa ostentandae per terrores potentiae dira, sed frequens magnis imperiis gloria.* — Vitio haec verba laborare videntur, nisi forte quis rite explicare possit, qualis sit gloria dira ostentandae potentiae. Suspicor *dirased* lectionem esse misere mutilatam vv. avi*ditassed.* Omnia saltem recte procedunt, si scripseris *non ipsa ostentandae per terrores potentiae* avi*ditas*, *sed frequens magnis imperiis gloria.*

C. 8, 2: *Quam multa tibi non licent, quae nobis beneficio tuo licent? Possum in qualibet parte urbis solus incedere sine timore, quamvis nullus sequatur comes, nullus sit domi, nullus ad latus gladius: Tibi in tua pace armato vivendum est.* — Pro *pace arce* substituendum esse facile tibi persuadebis, quum tam praecedentia accurate perlegeris, quam quae proxime sequuntur: *Aberrare a fortuna tua non potes. obsidet te et quocunque descenderis magno adparatu sequitur.*

Eod. cap. § 4: *Multa contra te lux est. omnium in istam conversi oculi sunt.* — Corrigendum est *multa circa te lux est.*

C. 12, 5: *Temperatus enim timor cohibet animos ..... Sic ferâs lineae et pinnae clusas continent.* — Lineae pinnis distinctae non continent credo feras quia ab illa *cluduntur*, sed quia *eluduntur.* Scribe ergo *elusas.* cf. Dial. IV, 11, 5 et 6.

DE BENEFICIIS.

I, 9, 3: *Rusticus, inhumanus ac mali moris et inter matronas abominanda condicio est, si quis coniugem suam in sella prostare vetuit.* — Omnino *in cella* legendum est. De qua correctione quicunque dubitat, is inspiciat quaeso Iuvenalis Sat. VI. 121 sqq. Petronii Sat. 8.

II, 10, 4: *Non nego, quotiens patitur res, percipiendum gaudium ex accipientis voluntate.* — Immo vero *voluptate*, cf. 24, 2: *Nam qui neglegens est in accipiendo, cum omne beneficium recens placeat, quid faciet, cum prima eius voluptas refrixerit?*

C. 14, 3: *Exorari in perniciem rogantium saeva bonitas est.* — Sententia aperte flagitare mihi videtur ut pro *saeva* legatur *scaeva*, i. e. stulta et stolida, cf. Gell. 12, 13: *scaevus profecto et caecus animi forem, si cett.*

Eod. cap. deinceps legitur: *Pecuniam non dabo quam numeraturum adulterae sciam, ne in societate turpis facti aut consilii inveniar.* — Si recte grammaticam memoria teneo *numeratum iri* corrigendum est.

IV, 6, 6: *Insita sunt nobis omnium aetatum omniumqne artium semina magisterque ex occulto*

deus producit ingenia. — Rectius ni fallor *ingenita* scribes.

C. 21, 6: [Bona voluntas] *prodest et in eculeo, prodest et in igne, qui si singulis membris admoveatur et paulatim vivum corpus circumeat, licet ipsum cor plenum bona conscientia stillet: placebit illi ignis per quem bona fides conlucebit.* — Non intellego quid sit cor stillans. Subaudiendum, inquit, *sanguine;* at scire cupio, qui fieri possit, ut cor humanum igne admoto sanguine stillet. Si cum Fickertio pro *cor* nonnullorum codd. lectionem *cor*pus recipis, nihil, opinor, proficies. Sed rectam omnino et sanam habebis sententiam si mecum pro *stillet* u*stilet* scripseris.

C. 28, 1: »*Di quoque, inquit, multa ingratis tribuunt.*" *Sed illa bonis paraverunt: contingunt etiam malis, quia separari non possunt. Satius est autem prodesse etiam malis propter bonos quam bonis deesse propter malos. Ita quae refers diem, solem, hiemis aestatisque cursus et media veris autumnique temperamenta ..... pro universis invenerunt.* — Respondet h. l. scriptor iis, quae interlocutorem suum obicientem facit 26, 1: »*Si deos... imitaris, da et ingratis beneficia: nam et sceleratis sol oritur, et piratis patent maria.*" In hoc ipso responso autem v. *solem* vitiosum existimo. Seneca sine dubio *noctem* scripsit.

C. 29, 1: »*Ergo, inquit, nec consilium deliberanti dabis ingrato nec aquam haurire permittes? nec viam erranti monstrabis ingrato? an*" *cett.* — Qui vel semel haec legerit, mecum certe faciet, quum post *haurire sitienti* excidisse contendo.

VI, 3, 2: *Ruptis totiens adfinitatis, amicitiae, collegii foederibus inter contendentes duos terrarum orbis elisus est.* — Praetulerim *divisus est.* Cf. Nat. Quaest. I, prol. 8: *hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro et igne dividitur.*

C. 38, 3: *Miles bellum optat, si gloriam. agricolam annonae caritas erigit. eloquentiae pretium exceptat litium numerus.* — Varie hic locus tentatus est a viris doctis, quorum fere nemo non vidit *exceptat* spuriam vocem esse. E coniecturis autem, quibus vitium sanare conati sunt, nulla satis placet. Omnium proxime ad scriptoris sententiam Bentleius accessisse videtur, qui (ad Hor. Carm. I, 34, 13) *exaltat* emendandum ratus est. Sed *exaltare pretium* dubito an apud quemquam scriptorem invenias. Medecina petenda videtur ex loco, qui legitur lib. VII de Benef. 9, 3: *Video istic crystallina, quorum accendit fragilitas pretium.* Analogiam secutus haud inepte conicere possis loco, quem supra annotavi, Senecam *excitat* scripsisse, quoniam *excitare* fere eandem vim habet quam *accendere*, ubi de igne sermo est, cf. Caes. B. G. VII, 24; Iuv. Sat. III, 262. Quum vero etiam *excitare pretium* sine exemplo sit, nescio an rectius tutiusque et h. l. *accendit* restituatur.

NATURALES QUAESTIONES.

Lib. I, prol. 4: *Equidem tunc naturae rerum gratias ago, cum illam non ab hac parte video quae publica est, sed cum secretiora eius intravi, cum disco quae universi materia sit .... Nisi ad*

haec admitterer non fuerat nasci. Necesse videtur ut corrigamus *non fuerat* tanti *nasci.* Quod facilius concedet, qui quam saepe noster locutione *est tanti* usus sit reputat.

C. 1, 13: *In magna tempestate adparere quasi stellae solent velo insidentes.* — Malim *malo.* Ni enim omnia fallunt in malo ignis S. Elmi, qui hodie vocatur, non in velo apparere solet. Cf. Auct. Bell. Afr. 47, 6.

C. 3, 12: *Illud dubium esse nulli potest, quin arcus imago solis sit roscida et cava nube concepta...... Saepe talis nubes a latere solis est nec arcum efficit, quia non ex recto imaginem trahit. Varietas autem non ob aliam causam fit, quam quia pars coloris sole est sparsa in nube illa.* — Haasius haec verba misere corrupta emendare sibi visus est supplendo post *sparsa pars.* Quod probare nequeo. Minime enim pars coloris arcus sole (h. e. solis fulgore) est *sparsa*, sed ut legitur § 14: *duae causae sunt arcus, sol nubesque.* Et sol igitur et nubes arcus coloris pariter causae sunt. Quam ob rem corrigendum est *quia pars coloris in sole est, pars in nube.*

II, 29, 1 hoc agit S. ut tonitrus originem et naturam enarret; *natura,* ita scribit, *aptus est aer ad voces. quidni? cum vox nihil aliud sit quam ictus aer. debent ergo nubes utrimque inseri et cavae et intentae.* — V. *inseri* h. l. ferri nequit, quia fere de iis dicitur, quae sedate et placide coniunguntur et miscentur. At, ut est. c. 28, 1: *non tantum ire nubes oportet, sed agi magna vi et procellosa,* ut tonitrus sonus edatur; corrige ergo *inferri.*

C. 49, 1 enumerantur fulgurum nomina, qualia a Caecinna posita essent; inter haec commemorantur *pestifera*, *quae mortem exiliumque portendunt*. — Aut equidem fallor, aut *exitiumque* corrigi oportet.

III, prol. 6: *Quemadmodum Hannibal superiecerit Alpes scribunt. quemadmodum confirmatum Hispaniae cladibus bellum Italiae inopinatus intulerit fractisque rebus et post Carthaginem pertinax reges pererraverit ducem promittens, exercitum petens.* — Suspicor antiquitus scriptum fuisse *et post Carthaginem perditam pertinax*, alterum autem vocabulum ob sequentis similitudinem librarii socordia interiisse.

C. 5, 1: *Quidam iudicant terram quicquid aquarum emisit rursus accipere et ob hoc nec maria crescere, quia quod influxit non in suum vertunt, sed protinus reddunt.* — En iterum locum habes, qui vocabulo exciso corruptus videtur. Vide sis, an non *in usum suum* restituendum sit.

IV. 2, 10: *Nilus .... adeo nihil exedit nec abradit, ut contra adiciat vires nimiumque in eo sit, quod solum temperat.* — Haec omni sensu carere nemo, opinor, non videt. Noli, quaeso, quidqam credere viris doctis, qui non *nimiumque* sed *minimumque* Senecam scripsisse persuadere tibi conantur. Vide potius, an non *fimumque* vera lectio sit.

C. 11, 3: *Pilae proprietas est cum aequalitate quadam rotunditas. aequalitatem autem accipe hanc, quam vides in lusoria pila. non multum illi commissurae et rimae earum nocent, quo minus par sibi ab omni parte dicatur.* — Scire cupio a viris doctis, qui a codicum auctoritate vel transversum unguem discedere verentur, quid faciamus h. l. v. *earum*.

In qua quum equidem haeream ad coniecturam recurri. Ipsum Senecam *corii* scripsisse existimo, at somniculoso cuidam librario librum, a quo suum exemplar describeret, *corū* exhibere perperam visum esse. Pilas autem de corii segminibus inter se consutis factas esse, lana vel setis vel plumis etiam refertis, admodum probabile est.

VI, 2, 8: *Quid habeo quod querar, si rerum natura me non vult iacere ignobili leto.* — Corrige *tradere* coll. Cic. de Leg. II, 9, 22: *hos leto datos divos habento.*

C. 7, 3 postquam de variis aquarum generibus disseruit, per terrae superficiem decurrentium, addit: *omnis aquarum et intra terram natura faciesque est. Illic quoque aliae vasto cursu deferuntur et in praeceps volutae cadunt, aliae cett.* — Obscura haec sunt et recto sensu destituta, nisi pro *omnis* reposueris *similis.*

C. 13, 6: *Vices deinde huius pugnae sunt: desit calori congregatio ac rursus eruptio, tunc frigora compescuntur et succedunt mox futura potentiora. dum alterna vis cursat et ultro citroque spiritus commeat, terra concutitur.* — Sententia requirit ni fallor *dum alterna vice cursant.*

C. 26, 3: *Sed movetur et Aegyptus et Delos, quam Vergilius stare iussit:*

‚immotamque coli dedit et contemnere ventos.'

hanc philosophi quoque, credula natio, dixerunt non moveri auctore Pindaro. — Corruptus hic locus est. Seneca philosophos, quos summa admiratione et veneratione semper et ubique prosequitur, contemptim scilicet credulam nationem dixit. Credat

Iudaeus Apella. Qui autem nostrum vel semel atque iterum attigerit, eum non fugerit, opinor, quam acriter saepe invehat in historicos. Sic N. Q. I, 11, 2 et III, praef. 5—7 eorum inutilia studia reprehenduntur, N. Q. IV, 3, 1 totam eorum nationem mendacem vocat. Quid universe de iis senserit non aliunde melius cognosci potest quam ex N. Q. VII, 16, 1: *Quidam* [historici] *incredibilium relatu commendationem parant et lectorem aliud acturum, si per cotidiana duceretur, miraculo excitant. quidam creduli, quidam neglegentes sunt.* Vides igitur eum historicos non leviter credulitatis arguere. Idem sine dubio fecit hoc quem notavi loco. Quamobrem vel invita codicum auctoritate corrigere velim: *hanc historici quoque, credula natio, dixerunt non moveri.* Tunc demum intelleges, quare in proxime sequentibus non philosophi nominati sint, sed historicorum nobile par Thucydides et Callisthenes, quippe quorum relata quodammodo a vulgo discesserint.

C. 27, 2. *Diximus solere post magnos terrarum motus pestilentiam fieri, nec id mirum est. multa enim mortifera in alto latent: aer ipse, qui vel terrarum culpa vel pigritia et aeterna nocte torpescit, gravis haurientibus est vel corruptus internorum ignium vitio, cum est longo situ emissus, purum hunc liquidumque maculat ac polluit insuetumque ducentibus spiritum adfert nova genera morborum.* — Haec non satis intellego. Emendare hoc modo locum conatus sum; num recte, videant me acutiores: *aer ipse, qui vel terrarum culpa vel pigritia* sua *et aeterna nocte torpescit, gravis haurientibus est, vel, corruptus infernorum ignium vitio cum est* et *longo*

situ emissus, purum hunc liquidumque maculat ac polluit, per *insuetumque ducentibus spiritum adfert nova genera morborum.* Illustrantur haec iis, quae leguntur c. 28, 2: [Hic spiritus] *ubi per secula conditus tenebris ac tristitia loci crevit in vitium, ipsa ingravescit mora, peior quo segnior. cum exitum nactus est, aeternum illud umbrosi frigoris malum et inferam noctem volvit ac regionis nostrae aera infuscat... Tunc etiam ille spiritus purior transit in noxam: inde subitae continuaeque mortes et monstrosa genera morborum ut ex novis orta causis.*

VII, 17, 1: *Apollonius Myndius.. ait.. cometen non unum ex multis erraticis effici, sed multos cometas erraticos esse. Non est, inquit, species falsa nec duarum stellarum confinio ignis extentus, sed proprium sidus cometes est sicut solis ac lunae. Talis illi forma est, non in rotundum restricta, sed procerior et in longum producta.* — Nonnulli editores correxerunt *nihil illi forma est;* quo iure nescio. Mihi longe praestare videtur: *At alia illi forma est* i. e. atque solis et lunae sideri.

C. 27, 1: *Dic tu mihi..., quare luna dissimillimum soli lumen accipiat, cum accipiat a sole.* — Prius *accipiat* vitiosum est; sententia *exhibeat* flagitat.

Eod. cap. 6: *Cometas* [natura] *non frequenter ostendit, adtribuit illis alium locum, alia tempora, dissimiles ceteris motus: voluit et his magnitudinem operis sui colere, quorum formosior facies est, quam ut fortuitam putes.* — Pro *colere* scribendum esse *edere* haud dubitanter affirmare ausim.

Ibid. 30, 2: *Nec miremur tam tarde erui, quae*

tam alte iacent, ... dico [cometas] *non fortuitos esse ignes, sed intextos mundo, quos non frequenter educit, sed in occulto movet.* — Magis placet h. l. *fovet.*

EPISTULAE MORALES.

Ep. 8, 3: *Vitate, quaecumque volgo placent, quae casus adtribuit. ad omne fortuitum bonum suspiciosi pavidique subsistite: et fera et piscis spe aliqua oblectante decipitur.* -- Neglexerunt adhuc editores veram lectionem *specie* restituere. Hoc enim monet Seneca ne brutorum more, sensuum ludibriis et mendaciis capti, externa rerum forma et imagine fallamur. *)

Ep. 18, 3: *His maxime diebus* [i. e. Saturnalibus] *animo imperandum est, ut tunc voluptatibus solus abstineat, cum in illas omnis turba procubuit.* — Verbum *procumbere* h. l. inclinandi vim habere interpretes nobis affirmant, ita ut procumbere in voluptates idem sit, quod inclinare ad voluptates. Quod quin recte omnino se habeat non dubitarem, nisi obstaret, quod procumbendi verbum, si hunc locum excipias, de hominibus ad hoc illudve inclinantibus nusquam legitur. Ideo *prorupit* scribendum existimo, quod de turba in Saturnaliorum licentia ad omne voluptatum genus effuse dedita apte dicitur. Cf. Tac. Ann. VI. 51, XI, 35.

---

*) Quam facile in Codd. *spes* et *species* permutari potuerint optime patet ex Wattenbachii libro, Anl. z. Lat. Palaeographie p. 32.

In ead Ep. § 6: *Miles in media pace decurrit sine ullo hoste, vallum iacit cet.* — *Vallum iacere* vix Latinum esse credo. Senecae *ducit* reddendum erit. *Vallum ducere* enim et ipse scripsit Ep. 51, 12 et Livius VII, 23, Tibullus IV, 1, 85.

Ep. 24, 21: *Haec cum descripsisses quo soles ore, semper quidem magnus, numquam tamen acrior quam ubi veritati commodas verba cett.* — Si verborum contextum paulo accuratius respicias, *acrior* ex *maior* depravatum esse facile tibi persuadebis.

Ep. 29, 5: *magna in* [Marcellino] *ingenii vis est, sed iam tendentis in pravum. nihilominus.... audebo illi mala sua ostendere. Faciet quod solet: advocabit illas facetias, quae risum evocare lugentibus possunt, et in se primum, deinde in nos iocabitur.* — Pro *lugentibus ludentibus* substituendum conicio. Significat credo Seneca, fore ut Marcellinus, cuius mores corrigere in animo habet, ad facetias recurrat, quae ludentibus quidem risum evocaturae, se vero graviter et serio agentem non eo perducturae sint, at a proposito declinet. Si *lugentibus* sanum vocabulum esset, omnino *vel* s. *etiam* praecedere debebat.

Ep. 30, 14: *Ignis, qui valentem materiam occupavit, aqua et interdum ruina exstinguendus est: ille, qui alimentis deficitur, sua sponte subsidit.* — Non *valentem* sed *alentem* antiquitus scriptum fuisse verbo monere sufficit.

Ep. 48, 7: *alium mors vocat, alium paupertas urit, alium divitiae vel alienae torquent vel suae.* — Nisi fallor legere h. l. praestat *evocat* coll. Ep. 61, 2: *hoc animo tibi hanc epistulam*

scribo, tamquam me cum maxime scribentem mors evocatura sit.

Ep. 54, 7: *Hoc tibi de me recipe: non trepidabo ad extrema, iam praeparatus sum cett.* — Rectior et elegantior locus erit, si *recipio* scripseris.

Ep. 64, 8: *Hoc asperitas oculorum conlevatur. hoc palpebrarum crassitudo tenuatur. hoc vis subita et humor avertitur.* — Scribendum est *tumor.* Humor oculorum nullo modo opinor pro morbo habetur; habetur tumor i. e. inflatio. cf. Cic. Tusc. IV, 37, 81: *Citius repentinus oculorum tumor sanatur, quam diuturna lippitudo depellitur.* Sen. Dial. V. 39. 2: *nec oculos tumentes temptabimus, vim rigenten movendo incitaturi.*

Ep. 66, 40: *non est dubium, inquit, quin felicior sit inconcussa valitudo, quam ex gravibus morbis... in tutum vi quadam et patientia educta.* — *Vis* et *patientia* inepte h. l. coniungi mihi videntur. Patientia enim quamvis aegro commendanda sit, tamen numquam inter causas efficaces numerari potest, quibus in tutum educitur. Cogitandum autem h. l. est de vi et virtute medicamentorum. Quae quum nullo vocabulo frequentius exprimantur quam *potentia*, hoc ipsum scribendum esse conicio. Cf. Plinius H. N. 37, 10, 54: *Achatae potentiam habere contra scorpiones dicuntur;* 31, 1, 1: *Aquarum potentiae exempla ponemus;* 28, 9, 38: *Quae ratio adipis, eadem sevi est, non minoris potentiae.*

Eiusdem Ep. 41: *illa enim, quae fortuita sunt, plurimum discriminis recipiunt. aestimantur enim utilitate sumentium.* — Corrigendum esse *sentientium*

facile quivis sibi lector persuadebit, nisi qui fortuita, i. e. forte et casu accidentia, sumi posse existimet.

Ep. 68, 14: *Non est tamen, quod existimes ullam aetatem aptiorem esse ad bonam mentem, quam .... quae ad salutaria mitigatis adfectibus venit ..... Quisquis senex ad sapientiam pervenit, annis pervenit.* — Pro insulso et frigido *annis sanus* substituendum esse censeo.

Ep. 69, 4: *Cito rebellat adfectus. quocumque se verterit, pretium aliquod praesens occupationis suae adspiciet.* — Voc. *occupationis* quid h. l. sibi velit non satis me intellegere confiteor. *Pretium occupationis suae* nihil aliud significare potest, nisi pretium quod affectus accipiet, si se occupari passus erit. Quod quid sit nescio. At intellego, affectum pretium adspicere, si se ipsa corrumpi passus erit i. e. si seductus erit ad pravum aliquid committendum, postquam semel ad bonam frugi se recepit; nam praesertim docemur eum cito rebellare solere. Scribendum ergo erit *pretium corruptionis suae.*

Ep. 72, 1: *Ergo hoc in praesentia differamus. multum enim operae, multum diligentiae poscit. cum primum longiorem eodem loco speravero moram, tunc istud in manus sumam.* — Seneca sine dubio non *speravero*, sed *paravero* scripsit.

Ep. 74, 28: *Non tamen minor* [virtus] *est, si ex altiore fastigio in privatum, ex regio in humile subducitur, ex publico et spatioso iure in angustias domus vel anguli coit.* — Verborum ordine turbato chiasmus h. l. interiisse videtur. Altum fastigium enim et privatum non rectius inter se opponuntur,

quam regium et humile. Levi igitur transpositione legendum erit: *si ex altiore fastigio in humile, in privatum ex regio subducitur.*

Ep. 82, 21: *Dices: »quod malum est, gloriosum non est: mors gloriosa est: mors ergo non malum"? O efficacem contionem!* — Necessario legendum est *conlectionem; collectio* enim apud Senecam dicitur argumentatio, qua quibusdam positis aliud quidpiam colligitur et concluditur. Cf. Ep. 45, 8; 85, 3 et huius ipsius Ep. § 9.

Ep. 83, 19: *Omne vitium ebrietas et incendit et detegit.* — Immo vero *ostendit et detegit.* Cf. § 20: *non facit ebrietas vitia sed protrahit.*

Ep. 89, 4: *Sapientia perfectum bonum est mentis humanae. philosophia sapientiae amor est et adfectatio. haec ostendit, quo illa pervenit.* — Senecam *eo tendit* scripsisse luce meridiana opinor clarius est.

Ep. 92, 25; *Incredibilia nobis haec videntur et supra humanam naturam excurrentia.* — Conicio *exsurgentia* scribendum esse.

Ep. 95, 25: *Quam foedi itaque pestilentesque ructus sunt, quantum fastidium sui exhalantibus crapulam veterem!* — Ultimum vocabulum depravatum existimo ex *hesternam*, quod fere perpetuum v. *crapula* epitheton tam apud alios scriptores est, quam apud ipsum Senecam. Cf. Ep. 122, 2; Dial. X, 14, 4.

Ep. 97, 11: *Non gaudet navigio gubernator everso, non gaudet aegro medicus elato, non gaudet orator, si patroni culpa reus cecidit.* — Quum de cladibus h. l. agatur, quae nullo modo reparari possunt,

navigium autem *eversum* rursus erigi possit, *merso* corrigendum censeo, quod melius loci sententiae respondere videtur.

Ep. 102, 23: *Alia origo nos exspectat, alius rerum status.* — Pro inepto *origo regio* substituendum est. Cf. Ep. 108, 20: *non credis nihil perire in hoc mundo, sed mutare regionem?*

Ep. 104, 16: *Quamdiu quidem nescieris, quid fugiendum, quid petendum, quid necessarium, quid supervacuum, quid iustum, quid honestum sit, non erit hoc peregrinari, sed errare.* — Quicumque haec verba paulo accuratius legerit non dubitabit scribere *iniustum* pro *honestum.*

Ep. 110, 5: *Nemo ausus est ad id, quo perturbabatur, accedere et naturam ac bonum timoris sui nosse.* — Pro *bonum*, quod satis inepte h. l. legitur, *locum* scribendum videtur.

Ep. 113, in qua disputatiunculae inanes inutilesque Stoicorum deridentur, § 21 haec leguntur: *Ego mehercules titillare non desinam et ludos mihi ex istis subtilibus ineptiis facere.* — *Titillare* h. l. satis absurda vox est. Suspicor *cavillari* legendum esse, quo vocabulo saepius in simili re Senecam usum esse constat. Cf. 117, 25; 108, 12.

Ep. 114, 9: *Deinde in ipsas domos impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant.* — Legendum esse *urbis* et sana mens docet et locus in libro VII de Beneficiis, 10, 5: *Aedificia privata laxitatem urbium magnarum vincentia.*

Ep. 122, 18: *Quomodo cultu se a ceteris distinguunt, quomodo elegantia coenarum, munditiis*

vehiculorum, sic volunt separare etiam temporum dispositiones. — **Malim:** se *separare etiam temporum dispositione.*

Ep. 123, 13: *Quod assequi poterimus, si scierimus duo esse genera rerum, quae nos aut invitent aut fugent: invitant divitiae, voluptates, forma, ambitio, cetera blanda et arridentia: fugat labor, mors, dolor, ignominia, victus adstrictior.* — Pro *fugat fugant* scribendum erit. Deinde *mors* mutilam scripturam censeo vocabuli *morbus.*

PETRONIUS ARBITER.

Satir. C. 2 *): *pace vestra liceat dixisse, primi omnium eloquentiam perdidistis. levibus enim atque inanibus sonis ludibria quaedam excitando effecistis, ut corpus orationis enervaretur et caderet.* — Ultimum vocabulum ocius delendum censeo. Multo magis placet *areret*, quod Heinsio debetur. Malim tamen *taberet* i. e. deficeret, consumeretur coll. Ovid. Met. 7, 540: *Sponte sua lanaeque cadunt et corpora tabent;* Lucr: 4, 1254.

C. 21: *Iussi ergo discubuimus et gustatione mirifica initiati vino etiam Falerno inundamur.* — Corrigendum est *invitati;* convivae enim primum gustatione ad bibendum excitati, deinde Falernum largius hauserunt. Cf. Plat. Rud. 2, 3, 31: *perit potando opinor. Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitat,* i. e. ad bibendum provocat. Amph. 1, 1, 126: *Credo edepol dormire solem, atque appotum probe. Mira sunt, nisi invitavit sese in coena plusculum,* i. e. ad bibendum se excitavit.

---

*) Petronii Arbitri Satirarum reliquiae, ex recensione F. Buecheleri, Berolini 1862.

C. 24: [Quartilla Gitona vocatum] *ad se in osculum adplicuit. mox manum etiam demisit in sinum et pertractato vasculo tam rudi* cett. — Scribe *talium rudi* coll. quae leguntur seq. cap.: *nec Gitona, verecundissimum puerum, sufficere huic petulantiae adfirmavi.*

C. 30: *Duae tabulae in utroque poste defixae* [erant], *quarum ..... altera lunae cursum stellarumque septem imagines pictas* [habebat]. — Non satis intellego, quomodo pictor *lunae cursum* coloribus reddere potuerit. Veram lectionem *lunae cornu* esse suspicor.

C. 31: *Ego experiri volui an tota familia cantaret. itaque potionem poposci; paratissimus puer non minus me acido cantico excepit.* — Quum Petronium verbis et dictionibus ab oratione urbana et polita alienis sermonique populari propinquioribus, (veluti *bisaccium*, *caballus*, *matus*, *bucca* et sexcenta alia) frequenter usum esse constet, hoc loco eum scripsisse *comminus* apte conicere possis, cuius vocabuli teste Servio (ad Verg. Geo. 1, 104) in Gallia Cisalpina usus frequentissimus fuit pro *statim*, *continuo*, quia sententia hoc ipsum postulare videtur. Nescio tamen an *continuo* corrigere praestet.

C. 33: *gustantibus adhuc nobis repositorium allatum est cum corbe, in quo gallina erat lignea patentibus in orbem alis.* — Malim *siliginea* coll. c. 69: *epidipnis esset allata, turdi siliginei.*

C. 42: *abiit ad plures. medici illum perdiderunt, immo magis malus fatus; medicus enim nihil aliud est quam animi consolatio.* — Quia absurde medicus dicatur *animi consolatio*, pro corrupto locus habendus

videtur. De correctione tamen aliquantum dubito. Fortasse in *quamanimi* latet *quaminanismi*, ita ut olim scriptum fuerit *quam inanis mali consolatio.*

C. 45: *Relictum est illi sestertium tricenties, decessit illius pater male. ut quadringenta impendat, non sentiet patrimonium illius.* — Cui sestertium tricenties relictum est, eius pater non mehercules *male* decessisse dici potest, si, ut hoc loco, unice rei familiaris ratio habetur. Buechelero *male* levitur excitati doloris vox videtur. Mihi *decessit* suspectum est. Haud inepte conicias *decoxit illius pater male* i. e. ita ut ipse dives fieret creditorum incommodo. Cf. c. 38: *Sestertium suum vidit decies, sed male vacillavit.*

C. 52: *Ceterum laudatus Trimalchio hilarius bibit et iam ebrio proximus ‚nemo' inquit cett.* — Sententiae accomodatius est, si *largius* correxeris; *hilarius* ex *hiolargius* ortum videtur.

C. 57: *Non mehercules soleo cito fervere, sed in molli carne vermes nascuntur.* — Omnino emendandum *in molli caseo.* Cf c. 66 f.

C. 60. *Omnes enim placentae omniaque poma etiam minima vexatione contacta coeperunt effundere crocum, et usque ad os molestus humor accidere.* — Si librorum auctoritati fides habenda est, *crocus* scilicet *molestus* humor h. l. dicitur. Vide, an non *coelestis* vera lectio sit coll. quae sequuntur: *rati ergo sacrum esse peniculum tam religioso apparatu perfusum* cett.

C. 62. *Forte dominus Capuam exierat ad scruta scita expedienda.* — Annotat Buechelerus: ‚*Scruta scita* sunt res quaelubet, inutiles utiles'. Potius

crediderim de rebus inutilibus tantum sermonem esse, quamobrem corrigere velim *scruta trita.*

C. 63: *Ceterum baro ille longus post hoc factum numquam coloris sui fuit, immo post paucos dies phreneticus periit.* — Malim *numquam compos sui fuit*, quod propius certe ad loci sententiam accedit. *Compos sui* eodem sensu quo *compos animi* usurpatum invenitur apud Liv. 8, 18; Curtium 4, 12; Celsum 5, 26. n. 13.

C. 75: *Non est dignus* [puer] *quem in oculis feram? sed Fortunata vetat. ita tibi videtur, fulcipedia? suadeo bonum tuum concoquas, milva, et me non facias ringentem, amasiuncula.* — Corrige *suadeo poenam tuam concoquas* i. e. aequo animo patiaris, strenue feras. Trimalchio autem convitio iratus calicem in faciem Fortunatae immiserat. Cf. c. 105: *et ego quidem tres plagas Spartana nobilitate concoxi.* Eodem modo C. 82 de Tantalo legitur: *sicco concoquit ore famem.*

C. 83: *‚ego inquit poeta sum et ut spero, non humillimi spiritus..... »quare ergo" inquis »tam male vestitus es?" propter hoc ipsum. amor ingenii neminem umquam divitem fecit.'* — Potius crediderim Eumolpum dixisse *ardor ingenii neminem umquam divitem fecit.*

C. 95: *interim coctores insulariique mulcant exclusum* [Eumolpum]. — Improbandum videtur v. *insulariique.* Ex. cap. 98 apparet in proxima vicinia Encolpii cellae popinas fuisse, dicit enim ibi Eumolpus: *ni deus... puero excussisset indicium, elusus* (lege *exclusus*) *circa popinas errarem.* Quamobrem corrigendum puto *coctores isiciariique*, quo

vocabulo isiciorum sive farciminum venditores significantur. Apte haec lectio quadrare mihi videtur cum seqq.: *alius veru extis stridentibus plenum in oculos eius intentat, alius furca de carnario rapta statum proeliantis componit.*

C. 98: *At non servus publicus tam languide agit, sed raptam cauponi harundinem subter lectum mittit omniaque.... scrutatur.* — Corruptam vocem esse *cauponi* manifesto docet comparatio loci, qui C. 134 legitur: *harundinem ab ostio rapuit iterumque nihil respondentem mulcavit.* Satis perspicuum est utroque loco de eadem re agi, quamobrem in *cauponi* et in *abostio* eadem vocabula latere suspicio est. C. 134 autem codicum scripturae variant. Habent *ab ostio*, *ab hostio*, *hostio*, *hostii*; conicio olim ibi scriptum fuisse *a posti.* C. 98 *raptamcauponi* depravatum esse ex *raptamaposti* non sine veritatis quadam specie affirmare posse mihi videor. Arundo autem h. l. baculus est, qui posti vel appensus vel appositus fuisse videtur. Cf. Plaut. Stich. 2, 3, 23.

Ibid. *Utinam me solum inimicus ignis hauriret aut hibernum invaderet mare.* — Corrige *fulminis ignis.* Haurire h. l. valet consumere, absumere. Cf. Liv. 5, 7: *Horaeque momento simul aggerem ac vineas ... incendium hausit;* Id. 30, 5: *Multos ..... semisomnos hausit flamma.*

C. 101: *comprehendi Eumolpi genua et ‚miserere' inquam ‚morientium et pro consortio studiorum commoda manum. mors venit, quae, nisi per te non licet, potest esse pro munere.' inundatus hac Eumolpus invidia iurat per deos deasque se neque scire quid acciderit cett.* — Nullo modo ferendum est

invidia, quoniam in Encolpii verbis ne levissimum quidem invidiae vestigium deprehendi potest. Nisi omnia fallunt, haud procul a vero aberis, quum *inundatus hoc Eumolpus convitio* emendaveris. *Convitium* enim interdum urgentem et quasi clamosam petitionem notat, ut apud Ciceronem in Ep. ad Q. Fr. II, 11, 1: *Epistolam hanc convitio efflagitarunt codicilli tui* et apud Quintilianum in Ep. ad Tryphonem: *Efflagitasti cotidiano convitio ut libros .... iam emittere inciperem.*

C. 103: *‚sequar ego frontes notans inscriptione sollerti, ut videamini stigmate esse puniti' ..... Non est dilata fallacia .... Implevit Eumolpus frontes utriusque ingentibus litteris et notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* — Scribendum existimo pro *implevit*, id quod rectius videtur *inlevit.*

C. 118: [Iuvenes] *forensibus ministeriis exercitati frequenter ad carminis tranquillitatem tamquam ad portum feliciorem refugerunt.* — Quemadmodum in *implevit* una littera, ita in *ministeriis* plures abundant. Aut fallor enim, aut *miseriis* sententia requirit. *Forenses miseriae* et *felix carminis portus* apte inter se opponuntur.

C. 125: *Quid, si etiam mercenarius praesenti felicitate lassus indicium ad amicos detulerit totamque fallaciam invidiosa proditione detexerit.* — Corrige *laxus* coll. Sall. Iug. 87. *Romanos sicuti plerosque, remoto metu, laxius licentiusque futuros.*

C. 126: *itaque oratione blandissima plenus ‚rogo' inquam ‚numquid illa, quae me amat, tu es?'* — Absurdissime editur *oratione blandissima plenus.*

Quod Iacobsius proponit *lenitus* aut *pertentatus* probare nequeo, quum a Codd. auctoritate longius eum discedere existimem. Mihi *plenus* ex *flexus* librariorum culpa depravatum esse probabilius videtur. Cf. c. 107: *flectite . . . mentes satisfactione lenitas.*

C. 127: *Dixit haec Circe, implicitumque me brachiis mollioribus pluma deduxit in terram vario gramine indutam.* — Varium gramen quale fuerit non satis capere me confiteor. Nimirum *viridi* emendandum est.

C. 128: ‚*Quid est*' inquit ‚*nunquid te osculum meum offendit? nunquid spiritus ieiunio macer? nunquid alarum negligens sudor? puto.*' — Varie coniecturis viri docti tentarunt *macer;* et iure quidem. Eam enim *macer* habet notionem, quae a *spiritus* prorsus aliena est. Verbum aperte desideratur quod *male olere*, *putere* valet. Wouwerius ad Sidonium *acet* coniecit, *macet* Gruterus, *macet* aut *mucet* Heinsius. Mihi nihil melius occurrit quam *rancet.* Participium *rancens* legitur apud Lucretium 3, 270: *cadavere rancenti, iam viscere vermes Exspirant* et apud Seren. Sammon. 54, 978: *Vetus et rancens axungia.* Quod praeterea nusquam rancendi verbum occurrit parum curo. Quam multa enim vocabula apud Petronium leguntur, quibus nemo alius scriptor umquam usus est. Quae sequuntur corrupta quoque existimo. Omnium maxime Antonii arridet correctura *nunquid alarum negligens, sudore puteo?*

C. 136: *Reduxi igitur gradum proiectaque veste, tanquam expectarem morantem, in aditu steti. collocavit illa ignem cassis arundinibus collectum,*

ingestisque super pluribus lignis excusare coepit moram. — Buechelerus iure quaestionem proponit: ubi collocavit? Excidisse nonnulla satis manifestum est. Nisi quid melius, ut corrigatur propono *collocavit illa* in favilla *ignem cassis arundinibus contectum.* Fieri enim potuit, ut librarius propter syllabas inter se simillimas coacervatas (*avitillain-favilla*) in errorem induceretur. Ignis autem restinctus erat. Oenothea casam reliquerat ad novum petendum. Rediit cum testo ignis pleno, quem deinde cassis arundinibus, ad exardescendum facilibus, *contectum* in favilla tepente posuit.

Ibid. *Quem* [anserem] *anus ut vidit, tam magnum aeque clamorem sustulit, ut putares iterum anserės limen intrasse.* — Annotat Buechelerus: ‚*aeque* corruptum. adiectivum velut *trucemque* intercidisse eo veri similius quod non *tantum* scriptum est'. Equidem omnino consentior, nisi quod *aeque* ex *acremque* depravatum esse potius crediderim.

C. 137: *Proselenos . . . viso . . ansere occiso . . . flere vehementius coepit meique misereri, tamquam patrem meum, non publicum anserem, occidissem.* — Quid *publicum* sibi velit non video. Anser occisus sacer fuisse videtur. Desidero adiectivum, quod deminutivam vim habet. Fortasse *pusillum* vera lectio est.

C. PLINIUS CAECILIUS SECUNDUS.

EPISTULAE.

I. 20, 17 *). *Neque enim minus inperspicua, incerta, fallacia sunt iudicum ingenia quam tempestatum terrarumque.* — Ineptissimum voc. *terrarumque* sine ulla dubitatione delendum existimo et revocandam veram lectionem *temporumque*; cf. Cicero de N. D. I. 4: *tempestates ac temporum varietates coelique mutationes;* Parad. VI: *Virtus nec tempestatum nec temporum permutatione mutatur.*

II, 3 Isaeum laudat, rhetorem clarissimum, de quo § 2: *Poscit controversias plures, electionem auditoribus permittit, saepe etiam partes, surgit, amicitur, incipit.* — *Poscit* controversias. — A quibus? — Ab auditoribus? Minime vero. His electionem permittit, ipse *ponit controversias*, i. e. proponit, in medium affert. Cf. Cic. Tusc. I. 4: *Ponere iubebam, de quo quis audire vellet*; Orat. 1. 22: *Ponere alicui quaestiunculam.*

---

*) C. Plinii Caecilii Secundi Epistularum libri novem, Epistularum ad Traianum liber, Panegyricus, recogn. H. Keil; Lipsiae 1868.

III, 6 describit signum Corinthium recens emptum his verbis: *effingit senem stantem; ossa, musculi, nervi, venae, rugae etiam ut spirantis apparent, rari et cedentes capilli, lata frons, contracta facies, exile collum, pendent lacerti, papillae iacent, venter recessit.* Deinceps addit *a tergo quoque eadem aetas ut a tergo.* — Editores haec verba adhuc intacta reliquerunt; ego vero, forsitan fallar, absurdiora illa existimo, quam ut diutius ferri possint. Etenim supersedet Plinius posticum signum tam minute et accurate describere, quam anticum descripserat. Verbo tantum annotat, tergum senilis corporis indicia eadem fide reddere, atque adversam partem, de qua tam multis verbis egerat; corrigendum ergo *a tergo quoque* [signo est] *eadem aetas ut adverso.*

IV. 6, 2: *Solum mihi Laurentinum meum in reditu...... Ibi enim plurimum scribo nec agrum, quem non habeo, sed ipsum me studiis excolo: ac iam possum tibi ut aliis in locis horreum plenum sic ibi scrinium ostendere.* — V. *studiis*, quo aequo animo careri mihi posse videtur, perperam e margine huc irrepsisse credo.

IV. 12. 2: *Cum* [Egnatius Marcellinus] *in provinciam quaestor exisset, scribamque qui sorti obtigerat... amisisset cett.* — In his *sorti* ex *sorte ei* depravatum esse satis apertum est.

IV. 13: Tacito mandat, ut ex copia studiosorum, quae ad eum conveniret, circumspiciat praeceptores, quos Tusculani sollicitare possent, ut filios suos, qui Mediolani studere solerent, in sua urbe docerent educarentque. Scribit Plinius, se cum compluribus Tusculanis de ea re egisse atque inter alia et hoc

dixisse (§ 9): *Educentur hic qui hic nascuntur statimque ab infantia natale solum amare frequentare consuescant. Atque utinam tam claros praeceptares inducatis, ut finitimis oppidis studia hinc petantur cett.* Quum tota epistula non de inducendis sed de conducendis praeceptoribus agatur, non *inducatis* Plinium scripsisse credo, sed *conducatis.* Cf. §§ 5 et 6.

IV. 24, 4: *Circa nos ipsos quam multa mutata sunt. Studiis processimus, studiis periclitati sumus, rursusque processimus. Profuerunt nobis bonorum amicitiae, bonorum obfuerunt, iterumque prosunt.* — Legendum est *rursusque procedimus.* Scripta est Epistula Traiano imperante, ut docet Mommsenius (Hermes III, 1. p. 47). *Studiis processimus, profuerunt nobis bonorum amicitiae* (sub Vespasiano et Tito), *studiis periclitati sumus, amicitiae bonorum obfuerunt* (sub Domitiano), *rursusque procedimus studiis, iterumque prosunt amicitiae* (sub Traiano).

IV. 27, 1: *Tertius dies est, quod audivi recitantem Sentium Augurinum cum summa mea voluptate, immo etiam admiratione.* — Corrigendum est: *summa etiam admiratione.* Locutiones *immo potius, immo etiam* pravae et barbarae Latinitatis esse docet Krebs in Antibarbaro (p. 487 ed IV Allgaijerianae).

In eadem Ep. § 2 legitur: *Aliquot annis puto nihil generis eiusdem absolutius scriptum, nisi forte me fallit aut amor eius aut quod ipsum me laudibus vexit.* — Plinium *evexit* scripsisse puto. Verbum *evehere* enim inde ab Augusti temporibus idem notat, quod apud antiquiores *efferre.* Cf. Verg. Aen. VI. 130: *Pauci, quos aequus amavit Iuppiter, aut*

ardens evexit ad aethera virtus; Dial. de Orr. 13: *licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evexerint.*

V. 3, 7: *Recito tamen, quod illi an fecerint nescio. Etiam: sed illi iudicio suo poterant esse contenti, mihi modestior constantia est, quam ut satis absolutum putem quod a me probetur.* — Pro inepto *constantia conscientia* restituendum est.

V. 8 Titinio Capitoni, qui se ut historiam scriberet hortatus erat, respondet Plinius, se tum demum amici consilio obsecuturum, quum actiones, quas edere in animo habeat, retractaverit. Deinde addit § 12: *Tu tamen iam nunc cogita quae potissimum tempora aggrediar.* Quae verba legentem cogitatio subiit, possitne eorum ope Taciti locus emendari, qui variis modis iam a viris doctis parum prospero eventu tentatus est. Locus, quem volo, legitur Hist. I, 2, 1: *Opus adgredior opimum casibus, atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevom.* Secundum Taciti scribendi genus, qui saepius adiectiva cum aliis substantivis coniungit atque iis, quae logica ratio indicare videtur, opus atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevom, est opus, in quo agitur de proeliis atrocibus, de seditionibus discordibus, de pacis tempore etiam saevo. Haec omnia quodammodo defendi possunt. Sed quales sunt casus opimi, quos, eandem rationem secutus, eodem tenore commemoratos vides? Haerebis ni fallor, ut iam multi in iisdem verbis haeserunt. Hanc ob causam saepius iam sunt a criticis vexata. Ut plura taceam, alius *plenum casibus*, *opibus casibus* alius, alius denique *inopinum casibus*

corrigendum putavit. Mihi longe rectius et simplicius videtur pro *opus* substituere *tempus.* Etenim primo capite declaravit Tacitus, quantum temporis spatium opus suum complexurum sit: *Initium mihi operis Servius Galba iterum Titus Vinius consules erunt* cett. Deinde secundo et tertio capite temporis iam definiti mores et ingenium brevi in conspectu posuit: *Tempus adgredior opimum casibus, atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevom: quattuor principes ferro interempti, trina bella civilia* .... *Non tamen adeo virtutum sterile* saeculum, *ut non et bona exempla prodiderit.*

V. 10, 2: *Sum et ipse in edendo* [hendecasyllabos] *haesitator, tu tamen meam quoque cunctationem tarditatemque vicisti.* — V. *haesitator*, quod praeter h. l. nusquam occurrit, a Plinio abiudicandum censeo. Scribendum *haesitantior.* Cf. Cic. Orat. I, 10: *Carbo ignarus legum, haesitans in maiorum institutis.*

VII. 9, 14: *Inest his* [opusculis] *quoque eadem quae aliis carminibus utilitas, quod metri necessitate deuinctis, soluta oratione laetamur.* — Lectionem Cod. Med. reddidi *deuinctis.* Keilius edidit *deiuncti*, num recte dubito. Equidem Plinium *defuncti* i. e. liberati olim scripsisse credo coll. Cic. pro Sext. Rosc. 21; Ep. ad Div. VIII, 11.

VII. 17, 13: *Timor est emendator asperrimus. Hoc ipsum, quod nos recitaturos cogitamus, emendat: quod auditorium ingredimur, emendat: quod pallemus, horrescimus, circumspicimus, emendat.* — Timorem emendatorem equidem non asperrimum, sed acerrimum existimo. Nec Plinius credo aliter sensit

quamobrem *acerrimus* restituendum erit. Cf. h. e. § 7: *novissime pluribus recito, ac si quid mihi credis, acerrime emendo.*

VIII. 1, 3 haec leguntur: *Ad hoc salubritas caeli, secessus, quies tantum salutis quantum otii pollicentur*, quae ita scribenda sunt: *Ad hoc salubritas caeli, secessus quies tantum salutis cett.* — *Secessus* genet. casus est.

VIII. 8, 4: *Ripae fraxino multa, multa populo vestiuntur, quas perspicuus amnis ut mersas viridi imagine adnumerat.* — Horum verborum sensus nullo modo intelligi potest, nisi deleto *adnumerat* restituatur vera lectio *adumbrat.*

Simili mendo obscuratur locus in Epistula eiusdem libri 10, 1: *Quo magis cupis ex nobis pronepotes videre, hoc tristior audies neptem tuam abortum fecisse, dum se praegnantem esse puellariter nescit ac per hoc quaedam custodienda praegnantibus omittit, facit omittenda. Quem errorem magnis documentis expiavit in summum periculum adducta.* — In his *documentis* quid significet nemo facile explicabit. Corrigendum est *tormentis*, quo vocabulo Plinii aequales saepissime utebantur ad dolores corporis significandos; cf. Plin. H. N. XX. 4, XXII. 22, Suet. Tib. 62 et ipse noster Ep. I, 12, 6.

VIII. 12, 1: [Titinius Capito] *colit studia, studiosos amat, fovet, provehit, multorumque qui aliqua componunt portus sinus praemium, omnium exemplum, ipsarum denique litterarum iam senescentium reductor ac reformator.* — Voc. *portus* interdum per metaphoram usurpatum invenitur fere eadem sententia ac *perfugium, refugium.* Cicero in Or. pro Cae-

cina 34, 100 exilium dicit *perfugium portusque supplicii;* de Off. II. 8, 26 senatum vocat *nationum portus et refugium.* Sed singula persona nusquam locorum simpliciter *portus* alicuius vocatur, non magis quam *sinus* alicuius, quamquam *sinus* nonnumquam perfugii notionem habet apud argenteae aetatis scriptores, ut apud Plin. Paneg. 6: *confugit in sinum tuum respublica;* Tac. Hist. III. 69: *respublica in Vespasiani sinum cessisset.* Voc. *praemium* denique de fautore vel columine alicuius ne semel quidem apud Latinos scriptores scriptum invenies. Quae quum ita sint, *portussinus praemium* librariorum negligentia depravatum suspicor ex *fortissimum praesidium*, quod Plinio quam primum reddendum erit. Cf. Cic. pro Sulla 28, 77.

VIII. 20, 4: [Aquae] *color caerulo albidior, viridior et pressior, sulpuris odor saporque medicatus, vis, qua fracta solidantur.* — Ex his verbis ita scriptis prorsus nulla sententia elici potest, nisi pro *sulpuris* substitueris *sulpure* et interpunctionem hoc modo mutaveris: *color caerulo albidior, viridior et pressior sulpure, odor saporque medicatus, vis cett.*

VII. 21, 5: *Delicatus ac similis ignoto est, qui amici librum bonum mavult audire quam facere.* — Plinium non *ignoto* sed *ignavo* scripsisse ipsa verborum sententia docet.

IX. 11, 2: *Bibliopolas Lugduni esse non putabam, ac tanto libentius ex litteris tuis cognovi venditari libellos meos.* — Inter *venditari* et *libellos ibi* intercidisse satis manifestum est.

IX. 13, 30: *Ad haec ego ,omnia praecepi adque animo mecum ante peregi, nec recuso, si ita casus*

attulerit, luere poenas ob honestissimum factum, dum flagitiosissimum ulciscor.' — Fugisse adhuc editores videtur in his verbis latere versum Vergilianum ex Aeneide (VI. 105) sumptum. Quam ob rem ita posthac scribendum erit: *Ad haec ego:*

„Omnia praecepi adque animo mecum ante peregi"
nec recuso, si ita casus attulerit, luere poenas' cett.

Vergilianum quoque versum ante oculos noster habuit, quum Ep. I, 2, 2 scriberet: *nam vim tantorum virorum pauci quos aequus amavit adsequi possunt.* Legitur enim Aen. VI. 129:

Pauci quos aequus amavit
Iuppiter aut ardens evexit ad aethera virtus,
Dis geniti potuere.

IX. 33, 3: *Omnis hic aetas piscandi, navigandi, atque etiam natandi studio tenetur, maxime pueri, quos otium lususque sollicitat.* — Corrigendum existimo *iocus lususque sollicitat.* Verba *iocus* et *lusus* vel *iocus* et *ludus* sexcenties coniuncta leguntur tam apud alios scriptores (Terent. Eun. II. 3, 8, Liv. XXVIII. 42, 1, Cic. Off. I. 9, 29), quam apud ipsum Plinium (V. 13. 10, VIII. 8. 4, VIII. 21. 2.) — *Lusus* et *ludus* ceteroquin promiscue in usu fuisse videntur, sed perpetuo omnes dixerunt *per iocum et ludum* s. *per ludum et iocum.*

EPISTULAE AD TRAIANUM.

Ep. 39 (48) 2: [Theatrum] *ingentibus enim rimis descendit et hiat, sive in causa solum umidum et molle, sive lapis ipse gracilis et putris.* — Emendandum est *fragilis et putris.*

Ep. 51 (50), 4: *Invenio fossam a rege percussam.* — Immo vero *perductam* Cf. Caes. B. G. I. 8. 1. Fossam *percutere* nemo umquam dixit vel scripsit mortalium.

Ep. 70 (75), 1: [Aedificia] *quae sunt vetustate sublapsa, relaxentur in melius.* — Pro absurdo et inepto *relaxentur retexantur* substituendum puto. Retexendi verbo saepe eam vim per metaphoram tributam esse constat, ut notet: aliquid destruere, quod postea alia forma restauretur; cf. Cic. Phil. II. 13, 32, Matius in Cic. Ep. ad Div. XI. 28, 5, Cic. de fin. V, 28, 84.

Ep. 96 (97), 1: *Sollemne est mihi, domine, omnia de quibus dubito ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere vel ignorantiam extruere?* — In his ultimum verbum *extruere* aperte vitiosum est. Nescio an *extrahere* legendum sit coll. Cic. de N. D. 1, 43, 121: *Epicurus ex animis hominum radicitus extrahit religionem;* Acad II, 34, 108: *Carneades ex animis nostris assensionem extraxit.*

In eadem Epistula § 7 haec leguntur: *Adfirmabant autem* [Christiani] *hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne despositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque ad capiendum cibum promiscuum tamen et innoxium; quod ipsum facere desisse cett.* — Aut equidem fallor, aut post *cibum* librariorum culpa lacuna ex-

stitit. Nihil certe Plinium, provinciae rectorem, scire interfuit quali cibo Christiani vescerentur, itaque non opus fuit affirmare illum *promiscuum* fuisse et *innoxium.* At non cibus credo sed conventus, quem habere solebant ad cibum capiendum, promiscuus erat et innoxius i. e. omnes Christiani uniuscuiusque ordinis, sexusque et aetatis conveniebant cotidie non alio consilio, quam ut communiter cibum caperent. Quae cum ita sint, inter *cibum et promiscuum* excidisse fere puto: *conventum habere solitos.*

PANEGYRICUS.

C. 1: *Qui mos cui potius quam consuli, aut quando magis usurpandus colendusque est, quam cum ..... ad agendas optimo principi gratias excitamur?* — Soloece coniuncta puto *mos* et *usurpandus;* culpa tamen non in Plinium, sed in librarium conferenda videtur. Plinium *observandus* scripsisse credo. Cf. Cic. ad Att. II, 19, 5, Fam. VI, 10, 2, ubi vv. *observare* et *colere* uno tenore scripta videbis.

C. 2: *Ad quas ille voces lacrimis etiam ac multo pudore suffunditur.* — *Suffundi pudore* nemo umquam dixit, opinor, vel scripsit; contra *rubore suffundi* fere nusquam non obvium est. De erubescentibus enim dicitur vel ruborem iis suffundi, vel eos suffundi rubore. Illud legitur apud Liv. XXX, 15, hoc apud Ovid. Met. I, 483, Amor. III. 3, 5 et in ipso Panegyr. c. 48. Et hoc igitur loco *rubore* corrigendum erit.

C. 23: *Ut quidem isdem vestigiis institisti quibus parens tuus, ingens illud deorum prolaturus arcanum, quae circumstantium gaudia! quam recens clamor!* — Immo vero *repens.* Cf. Sil. Ital. III, 220: *repensque Castra quatit clamor;* Stat. Teb. VII, 360: *vocisque repens singultus apertum Intercepit iter.*

C. 46: *Macte hac gravitatis gloria, Caesar, qua consecutus es ut quod antea vis et imperium nunc mores vocarentur. Castigaverunt vitia sua ipsi qui castigari merebantur, iidemque emendatores qui emendandi fuerunt. Itaque nemo de severitate tua queritur, et liberum est queri.* — Plinium *etsi liberum est queri* scripsisse conicio. Facile patet librarium in describendo praeteriisse *si* ob similitudinem sequentis *li.*

C. 48: *Ipse autem ut excipis omnes! ut expectas! ut magnam partem dierum inter tot imperii curas quasi per otium transigis! Itaque non alii et attoniti, nec ut periculum capitis adituri tarditate, sed securi et hilares, cum commodum est, convenimus.* — Vv. *alii et attoniti* ita explicare conantur interpretes, quasi significent: non colore vultuque alio et a prioribus demutantes. Fuere qui *non ut alias* praeferrent, quod deteriores codices habere videntur. Apage ineptias! Plinio reddendum est, quod unice verum iudico: *non anxii et attoniti..... sed securi et hilares.* Cf. c. 68: *suspensi et attoniti.*

C. 66: *Iubes esse liberos; erimus: iubes quae sentimus promere in medium; proferemus.* — Contextus ostendit *proferre* corrigendum esse. Promere in medium num Latine recte dicatur dubito.

C. 68: *Itaque securus tibi et laetus dies exit, qui*

principes alios cura et metu distinebat, cum suspensi et attoniti . . . . . hinc atque inde publicae servitutis nuntios expectarent. Ac si forte aliquos flumina nives venti praepedissent, statim hoc illud esse credebant quod merebantur. — Pro inepte *merebantur verebantur* corrige sodes.

C. 69: *Si quid usquam stirpis antiquae, si quid residuae claritatis, hoc amplexatur et refovet et in usum rei publicae promit. Sunt in honore hominum et in honore famae magna nomina ex tenebris oblivionis indulgentia Caesaris, cuius hoc est ut nobiles et conservet et efficiat.* — Non uno vitio haec laborare videntur. Primum *promit* depravatum existimo ex *provehit*, praesertim quum locum respicio in Ep. VIII. 12, ubi de Traiano scribit Plinius: *colit studia, studiosos amat, fovet, provehit.* Eundem ibi sententiae ordinem cernimus; cf. Ep. IX, 14: *provehere aliquem in lucem et famam.* — Deinde vero non credo Plinium scripsisse *sunt in honore hominum et in honore famae.* Prius *honore* librarii culpa ex *ore* ortum esse minime dubitanter affirmaverim, cuius oculi in scribendo nescio an ad sequens voc. aberraverint. Tum vero *ex tenebris oblivionis* nimis durum et molestum h. l. puto pro *post tenebras oblivionis*, quod omnino significare debet. Quam ob causam lacunam exstare conicio vel post *oblivionis*, vel post *Caesaris*, quae per *eruta* vel *prompta* vel eiusmodi vocabulum explenda erit.

C. 81 Traianus laudatur, quod ut in ceteris, ita in venatione quoque morem maiorum secutus, lustrare soleret saltus, excutere cubilibus feras, certare cum fugacibus cursu, cum audacibus robore, cum callidis

astu. Deinde haec sequuntur: *Usurpabant gloriam istam illi quoque principes qui obire non poterant: usurpabant autem ita ut domitas fractasque claustris feras ac deinde in ipsorum quidem ludibrium emissas mentita sagacitate colligerent.* — Displicet ultimum verbum. Significat, credo, principes illos, mollitie fractos, domitas feras in unum locum coegisse. Si vero feras in unum locum coegerunt hoc eo certe fecerunt consilio, ut deinceps eas interficerent. Desidero itaque verbum, quo hoc ipsum significatur. Inspice autem Suetonium in vita Domitiani c. 19: *Centenas varii generis feras saepe in Albano secessu conficientem* [Domitianum] *spectavere plerique.* Satis constat, ut fere tota oratione sic hoc quoque loco, Plinium, quoties de priorum principum pravis moribus agat, ad Domitianum alludere. Quam ob causam et h. l. Suetonio duce *conficerent* legendum puto. Cf. Suet. Claud. 21, ubi conficiendi verbum eodem sensu usurpatum videbis.

DIALOGUS DE ORATORIBUS.

C. 9: *Nam carmina et versus .... neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant, neque utilitates alunt, voluptatem autem brevem, laudem inanem et infructuosam consequuntur.* — Cod. lectionem *utilitates* quia sententiam prorsus incommodam praebeat, Ritterus *utilitate eos* scribendum esse conicit. Nescio an rectius *facultates* scripsisset, praesertim quum respicio ad ea, quae leguntur c. 8: *Nam quo sordidius et abiectius nati sunt .... eo clariora et .... illustriora exempla sunt, quod sine commendatione natalium, sine substantia facultatum .... per multos iam annos potentissimi sunt civitatis* cett. — *Facultates* h. l. sunt bona, patrimonium, quorum vim saepe habent apud argenteae aetatis scriptores; cf. Quint in f. prooem. L. 6: *facultates patrimonii nostri aliis relinquemus;* Suet. Galb. 3: *attritis facultatibus urbe cessit;* Petron. Sat. 112: *quidquid boni per facultates poterat, coemebat.* — *Alere* h. l. augendi vim et notionem habet, ut apud Liv. 28, 24: *alere rumores;* Nep. Phoc. 1: *alere luxuriam* cett.

C. 12: *Haec eloquentiae primordia, haec penetralia; hoc primum habitu cultuque commendata mortalibus in illa casta et nullis contacta vitiis pectora influxit; sic oracula loquebantur. Nam lucrosae huius et sanguinantis eloquentiae usus recens et malis moribus natus.* — Non *lucrosae* sed *luctuosae* olim scriptum fuisse conicio. Amavit enim Dialogi scriptor paria verborum cognatae inter se significationis componere. Vel proximam huius loci viciniam perlustrare sufficit. Videbis: *nemora et luci; sordes ac lacrimas reorum; loca pura atque innocentia; habitu cultuque; casta et nullis vitiis contacta pectora; poetis et vatibus; deis genitos sacrosque reges; inquieta et anxia vita* cett.

Eadem de causa nescio an emendatione egeat locus, qui legitur c. 23: *Nam et haec invitus rettuli et plura omisi, quae tamen sola mirantur atque exprimunt ii, qui se antiquos oratores vocant.* — Pro *mirantur imitantur* substituendum puto. *Aemulari* et *exprimere* coniungit Plinius Ep. IV, 18, 1; IX. 22. 1.

Similis res est c. 29: *Horum* [servorum] *fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur.* — Ritterus *amoribus* legere maluit. Equidem *sermonibus* corrigere malim coll. Plin. Ep. V, 6, 6: *audias fabulas veteres sermonesque maiorum;* V. 8, 4: *Sunt enim homines natura curiosi ... ut qui sermunculis etiam fabellisque ducantur.*

C. 34: *Ita nec praeceptor deerat .... nec adversarii et aemuli ferro, non rudibus dimicantes; sed auditorium semper plenum, semper novum ex invidis et faventibus, ut nec bene dicta dissimularen-*

tur. — Quicunque paulo accuratius haec perlegit, facile, opinor, sibi persuadebit *dimicantesetauditorium* sententiam requirere.

C. 36: *Quae singula etsi distrahebant rem publicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam et magnis cumulare praemiis videbantur.* — Corrigendum videtur *stimulare.* Legitur enim initio sequentis cap.: *Ergo non minus rubore quam praemiis stimulabantur* cett.

C. SUETONIUS TRANQUILLUS.

Tiberius, 62: *Auxit intenditque saevitiam, exacerbatus indicio de morte filii sui Drusi. Quem cum morbo et intemperantia perisse existimaret cett.* — Existimasse Tiberium crediderim, Drusum perisse *morbo ex intemperantia.* Sed haec minora. Multo corruptiorem locum invenisse mihi videor in vita Neronis c. 12, ubi haec leguntur: *Instituit et quinquennale certamen primus omnium Romae more Graeco triplex, musicum gymnicum equestre, quod appellavit Neronia; dedicatisque thermis atque gymnasio, senatui quoque et equiti oleum praebuit. Magistros toti certamini praeposuit consulares* ***sorte, sede praetorum.*** — Viri docti affirmant postremis verbis significari, consulares sorte lectos novis ludis praepositos esse, qui eo loco praesiderent, quo Praetores ludis praesidere consueverant i. e. tribunali, de quo mentio facta est in vita Aug. 44, Claud. 21. Mitto quod durius concurrunt *sorte* et *sede*, sed nego recte Latine dici posse *consulares sorte*, pro *consulares sorte lecti.* Praeterea vehementer dubito, num imperator quidquam constituerit de loco,

ubi ludorum praesides sederent. Rationi consentaneum erat ludos, administrari de eo loco, de quo semper administrarentur, i. e. de tribunali. Nil opus fuit eius rei mentionem ullam inicere. Satis ergo perspicuum est locum mendo obscurari. Neque id difficile sublatu existimo. Fere non dubito quin Suetonius scripserit: *Magistros toti certamini praeposuit consulares* **octo, sedecim praetorios.** Cui lectioni non leviter favere credo quod Torrentium olim annotasse video, fuisse qui in veteri cod. *sed et praetorios* legerint.

Ibid. c. 20 narrantur quae Nero factitaverit vel conservandae vocis causa vel augendae: *sed et plumbeam chartam supinus pectore sustinere, et clystere vomituque purgari, et abstinere pomis cibisque officientibus.* — Verbo monere sufficit, opinor, Suetonio *potibus cibisque* reddendum esse, nisi forte quis poma non inter cibos numeranda putet.

Ibid. 41: *Quosdam e primoribus viris domum evocavit, transactaque raptim consultatione, reliquam diei partem per organa hydraulica novi et ignoti generis circumduxit ostendensque singula, de ratione ac difficultate cuiusque disserens cett.* — Minime, opinor, Nero cum comitibus disseruit de ratione *ac difficultate*, sed *de ratione ac de facultate* i. e. de vi ac potestate singularum organi partium.

Ibid. 56: [Deam Syriam] *mox . . . sprevit . . . alia superstitione captus . . . Siquidem icunculam puellarem . . . . . pro summo numine . . . colere perseveravit.* — Mutilam vocem puto *icunculam*, quae praeter hoc loco apud nullum scriptorem usquam occurrit.

Restituendum est *imagunculam* coll. Aug. 7: *nactus puerilem imagunculam.*

Titus, 7: *Suspecta* [Titi] *rapacitas, quod constabat in cognitionibus patris nundinari praemiarique solitum.* — Lectio *cognitionibus* Torrentio debetur. Codd. habent *contionibus*, quod merito improbatur. Sed *cognitionibus* non magis placet. Qui enim quaeso in cognitionibus rapacitati locus esse potuit? Fere non dubito quin *auctionibus* vera lectio sit coll. Vesp. 16: *negotationes* (Vespasianus) *quoque vel privato pudendas propalam exercuit, coemendo quaedam, tantum ut pluris postea distraheret.* Ad hunc locum certe verba tentata spectant.

Etiam mutilam vocem deprehendisse mihi videor c. 8: *In iis tot adversis ac talibus non modo principis sollicitudinem sed et parentis affectum unicum praestitit.* — Antiquitus scriptum esse suspicor *adversis ac fatalibus.*

HISTORIAE AUGUSTAE SCRIPTORES.

VULCATII GALLICANI AVIDIUS CASSIUS.

C. 4, 7 *): *et cum ingens seditio in exercitum orta esset, processit nudus campestri solo tectus et ait: Percutite, inquid, me cett.* — Duplici vitio haec verba laborant. Primum pro *in exercitum orta* scribendum est *in exercitu mota*. Deinde verba *campestri solo tectus* ocius eliminanda censeo, utpote adscripta a stupido quodam librario, qui, quum *nudus* h. l. *inermis* valere turpiter nesciret, decoris causa Avidium Cassium campestri saltem circumdedit.

Fere eiusdem notae glossema invenitur in eadem vita 8, 1: *Caput eius ad Antoninum cum delatum esset, ille non exultavit, non elatus est, sed etiam doluit, ereptam sibi esse occasionem misericordiae.* — Verba *non elatus est* in marginem releganda videntur.

AELII LAMPRIDII COMMODUS ANTONINUS.

C. 2, 9: *Aurigae habitu currus rexit, gladiatoribus convixit, aquam gessit, ut lenonum minister,*

---

*) Scriptores Historiae Augustae, rec. H. Peter, Lipsiae 1865.

ut probris natum magis quam ei loco eum crederes ad quem fortuna provexit. — Primum inepta h. l. verba videntur *aquam gessit.* Aquam gerere enim pro aquam portare num ferri possint dubito. Deinde vero quid faciemus verbis, quae sequuntur: *ut lenonum minister?* Cum praecedentibus cohaerere nequeunt, nisi forte aquam portare lenonum ministri proprium fuisse putemus. Neque cum sequentibus coniungi possunt ob nominativum casum. Quid igitur? Nisi fallor omnia sana erunt, si correxeris *aeque se gessit ut lenonum minister. Aeque ... ut*, quod apud optimos scriptores non invenitur, post Plinium fere ab omnibus usurpatum est.

C. 9, 1: *Simulavit, se et in Africam iturum, ut sumptum itinerarium exigeret, et exegit eumque in convivia et aleam convertit.* — Legendum videtur *balnea.* Commodum enim aleatorem fuisse nusquam memoriae traditum est. Sed si quis alius balneorum luxuriae indulsit; cf. 5, 4; 11, 5.

Eod. cap. 3: *multos praeterea paraverat interimere, quod per parvolum quendam proditum est, qui tabulam e cubiculo eiecit, in qua occidendorum erant nomina scripta.* — Malim *servolum.*

IULII CAPITOLINI PERTINAX.

C. 8, 4 inter res Commodi, quarum auctio a Pertinace habita est, enumerantur *maceras Herculaneas et torques gladiatorias vasaque eluto auro ebore argento citroque composita.* — *Aurum elutum* signi-

ficare h. l. volunt aurum probe excoctum et purgatum. At frustra exempla quaeres, quibus *elutus* hanc vim vel umquam habuisse probatur. Scribendum censeo *electro*. Electrum, metallum omnium pretiosissimum, etiam hac aetate in usu fuisse docet locus in Vit. Trig. Tyr. 14, 5. Heliog. 21, 3.

AELII SPARTIANI PESCENNIUS NIGER.

C. 7, 7: *Hic erga milites tanta fuit censura, ut, cum apud Aegyptum ab eo limitanei vinum peterent, responderit: »Nilum habetis et vinum quaeritis?"* [siquidem tanta illius fluminis dulcitudo, ut accolae vina non quaerant]. — Verba, quae uncis inclusi, ut insulsum emblema eicienda esse verbo monere satis est.

C. 10, 5: *Item ob unius gallinacei direptionem decem commanipulones .... securi percuti iussit, et fecisset, nisi ab omni exercitu prope usque ad metum seditionis esses rogatus.* — Pro *metum motum* restituendum esse conicio.

Aeque facilis est emendatu locus in eadem Vita 11, 1: *nec sibi umquam vel contra solem vel contra imbres quaesivit tecti suffragium.* — Immo vero *suffugium*.

AELII SPARTIANI ANTONINUS CARACALLUS.

C. 6, 1: *Inde Alexandream petit, in gymnasium populum convocavit eumque obiurgavit; legi etiam*

validos ad militiam praecepit. — Res ipsa clamare videtur *etiam* in*validos* legendum esse.

AELII SPARTIANI ANTONINUS GETA.

C. 4, 1: *Fuit adulescens decorus, moribus asperis, sed non impius, anarbo retractator gulosus cupidus ciborum et vini varie conditi.* — Haeserunt editores in vocibus *anarbo retractator.* Si mihi emendationis periculum facere liceat, *inurbane iactator* legendum existimem. In *retractator* latere *iactator* iam Jordanus vidit.

C. 5, 4: *Familiare illi fuit has quaestiones grammaticis proponere, ut dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, velut: agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, porci grundiunt, ursi saeviunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elefanti barriunt, ranae coaxant, equi hinniunt, tauri mugiunt.* — Voc. *saeviunt* vitiosum h. l. esse haud dubitanter affirmare ausim. Desideratur enim vocabulum, quo animalis vox significatur. Proinde nescio an *raviunt* scribendum sit coll. Paulo ad Festum s. v.: *Rava vox rauca et parum liquida, proxime canum latratum sonans*, et deinceps: *Ravim dicebant pro raucitate, unde et verbum ravio, ravis.* Usus est hoc verbo Plautus Poen. 3, 8, 33. Cum *rictant* cf. carmen de Philom. vs. 49, ubi de tigridis voce agitur. Wernsdorsius *raccant*, Nodier *rancant* ibi legendum censet.

IULII CAPITOLINI OPILIUS MACRINUS.

C. 4, 5: *et alia dicuntur ab aliis, quae ipsa quoque non tacebimus. nam plerique gladiatoriam pugnam eum exhibuisse dixerunt et accepta rudi ad Africam isse.* — Macrinum hominem olim ignobilem, sordidum et spurcum non gladiatoriam pugnam *exhibuisse*, opinor, sed *exercuisse* dixerunt.

AELII LAMPRIDII ANTONINUS HELIOGABALUS.

C. 4, 1: *Deinde ubi primum diem senatus habuit, matrem suam in senatum rogari iussit. quae cum venisset, vocata ad consulum subsellia scribendo adfuit,* [id est senatus consulti conficiendi testis]. — Ultima verba, quae uncis inclusi, expungenda esse nemo non videt. Quasi vero vel Aelii Lampridii aetate nescierint, scribendo adesse quid sibi vellet!

Non minus turpe emblema legitur in ead. Vit. 11, 7: *Erant amici improbi et senes quidam et specie philosophi qui caput reticulo componerent,* [qui inproba quaedam pati se dicerent], *qui maritos se habere iactarent.* — Vv. *qui* — *dicerent*, quibus *qui* — *iactarent* explicantur, male e margine irrepserunt.

C. 29, 3: *Habuit et hanc consuetudinem, ut octo calvos rogaret ad cenam et item octo luscos et item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos et octo pingues.* — V. *nigros* non ferendum h. l. videtur. Agitur enim de hominibus qui aliquo corporis vitio notabiles erant. Quidni imperatorem,

qui octo pingues invitaret, simul octo *macros* rogasse suspicemur?

In eod. cap. § 6 legitur: *proponebat praeterea his quasi themata, ut iúra nova dapibus condiendis invenirent. cuius placuisset commentum, ei dabat maximum praemium.* — Manifestum est *condimentum* legendum esse.

C. 30, 4: *Celebravit item tale convivium ut apud amicos singulos singuli missus appararentur, et, cum alter maneret in Capitolio, alter in Palatio, alter super aggerem, alter in Caelio, alter trans Tiberim, et ut quisque mansisset, tamen per ordinem in eorum domibus singula fercula ederentur, ireturque ad omnium domos. Sic unum convivium vix toto die finitum est,* [cum et lavarent per singula fercula et mulieribus uterentur]. — Verba haec, quae uncis inclusi, expungenda sunt, quippe male repetita ex huius capitis § 3: *exhibuit aliquando et tale convivium, ut haberet viginti et duo fercula ingentium epularum, sed per singula lavarent et mulieribus uterentur.*

AELII LAMPRIDII ALEXANDER SEVERUS.

C. 16, 3: *Fuit praeterea illi consuetudo, ut si de iure aut de negotiis tractaret, solos doctos et disertos adhiberet, si vero de re militari, militares veteres ..... et omnes litteratos et maxime eos, qui historiam norant.* — Ni omnia me fallunt, *homines litteratos* legendum est.

C. 22, 6: *Praesides provinciarum ..... mune-*

ribus adiuvit dicens, et fures a re publica pellendos ac pauperandos et integros esse redimendos atque ditandos. — Sententia aperte ut pro *redimendos retinendos* legatur requirit.

C. 45, 3, postquam narravit scriptor Severo eam consuetudinem fuisse, ut omnia bellica consilia, quoties expeditionem susciperet, cum militibus communicaret, ita pergit: *et id quidem eo usque quamdiu ad fines barbaricos veniretur. Iam enim inde tacebatur, et omnes ambulabant, ne dispositionem Romanam barbari scirent.* — Peterus, quum *ambulabant* sibi suspectum esse profitetur, simul annotat verbum desiderari cui ignorandi notio insit. Non dissentio. Quid autem obstat, quominus *ambulabant* ex *ambigebant* i. e. haerebant, incerti erant, depravatum esse credamur?

IULII CAPITOLINI MAXIMINI DUO.

C. 2, 1: *Et in prima quidem pueritia fuit pastor, nonnumquam etiam procerte, qui latronibus insidiaretur et suos ab incursionibus vindicaret.* — Loco misere corrupto et depravato medecinam afferri posse existimo, si in *etiam procerte* latere ponamus *etiam in procinctu.* Etenim sic rem intellego, Maximinum, quum puer greges pasceret, interdum *armatam egisse vitam*, ut est in Vita Proculi 12, 5. Locutio *in procinctu esse* apud Script. Hist. Aug. semel atque iterum invenitur; cf. Gord. 26, 4; Valer. 5 (1), 4.

C. 5, 1: *numquam* [Heliogabalum] *salutavit per*

totum triennium huc atque illuc discurrens; modo agris modo otio modo fictis languoribus occupatus est. — Malim *laboribus*, nam languoribus occupatum esse absurdius dictum videtur, quam ut vel Iulio Capitolino imputaverim.

C. 13, 5: *Sed cum Romani eius crudelitatem ferre non possent, quod .... sine delicto consulares viros et duces multos interimeret, alios siccis vehelis exhiberet, alios in custodia detineret.... contra eum defectionem pararunt.* — Non intellego voces *siccis vehelis.* Suspicor legendum esse *sicis vel telis* et ita locum interpretor, Maximinum alios consulares et duces in custodia detinuisse, alios ludorum causa in arenam produxisse, ubi cominus eminusve interficerentur. Cf. Suet. Nero 12: *Exhibuit ad ferrum quadringentos senatores, sexcentosque equites.*

C. 27, 2: *perit, in ipso flore inventutis.... litteris et Graecis et Latinis imbutus ad primam disciplinam. nam usus est magistro Graeco litteratore Fabillo cett.* — Locus leviter turbatus in integro restituitur, cum scripseris: *perit, in ipso flore inventutis... litteris et Graecis et Latinis imbutus. Ad primam disciplinam usus est magistro* cett. Voc. *nam*, per dittographiam ex ultima syllaba v. *disciplinam* ortum, corruptionis causa est.

IULII CAPITOLINI GORDIANI TRES.

C. 25, 1: *Nisi di omnipotentes Romanum tuerentur imperium, etiam nunc per emptos spadones velut in hasta positi venderemur.* — Legendum est

veluti hasta posita. Cf. Cic. de Off. II, 8, 27, de Sulla: *Est enim ausus dicere hasta posita, cum bona in foro venderet.... praedam suam se vendere.* Cf. Cic. in Ant. II. 26, 64, in Rullum II, 23, 62.

IULII CAPITOLINI MAXIMUS ET BALBINUS.

C. 5, 1: *Maximo pater fuit Maximus, unus e plebe, ut nonnulli dicunt faber ferrarius, ut alii raedarius* [vehicularius fabricator]. — Expungendum est molestum emblema.

C. 9, 3: *Nam et in publicum processit, manus singulis quibusque tenuit et paene ictum lapidis passus est.* — Corrige *tetendit.*

C. 15, 5: *Tanta est autem historicorum inter se certantium imperitia vel usurpatio, ut multi eundem Maximum quem Puppienum velint dici* cett. — Fere non dubito, quin *turbatio* antiquitus scriptum fuerit. Non video enim, qui usurpationi tribui possit, quum historiarum scriptor inter duo nomina non recte distinguit.

TREBELLII POLLIONIS GALLIENI DUO.

C. 6, 3 postquam clades aliquot narratae sunt, haec sequuntur: *Pudet prodere inter haec tempora,* [cum ista gererentur], *quae saepe Gallienus.... quasi per iocum dixerit.* — Verba *cum ista gererentur* ludimagistro reddenda sunt, qui nesciebat,

tempora h. l. ut saepius alibi ferè idem valere quod calamitates.

C. 9, 5: *Praetereundum non est haud ignobile facetiarum genus. Nam cum grex Persarum quasi captivorum per pompam... duceretur, quidam scurrae miscuerunt se Persis, diligentissime scrutantes omnia atque uniuscuiusque vultum mira inhiatione mirantes. a quibus cum quaereretur, quidnam ageret illa solertia, illi responderunt. »Patrem principis quaerimus."* — Corrigendum est: *quidnam agerent illa insolentia.* Etenim principis pater captivus a Persis retinebatur. Insolentes autem fuere scurrae, qui Gallieno exprobrarent, eum patris redemptionem vel ultionem impie negligere.

TREBELLII POLLIONIS TYRANNI TRIGINTA.

C. 6, 3: *Tunc interfecto etiam Lolliano solus Victorinus in imperio remansit, qui et ipse, quod matrimoniis militum et militarium corrumpendis operam daret, a quodam actuario, cuius uxorem stupraverat..... percussus* [est]. — Inepta vox h. l. est *militarium.* Vv. milites enim et militares promiscue semper a Scriptt. Hist. Aug. usurpantur, ita ut nihil quidquam inter utrumque intersit. Vide num corrigendum sit *familiarium.*

C. 8, 6: [Marius] *occisus est a quodam milite, qui, cum eius quondam in fabrili officina fuisset, contemptus est ab eodem.* — Satis perspicuum est *eius* depravatum esse ex *socius* coll. § 1: *Marius ex fabro, ut dicitur, ferrario cett.*

C. 18, 11: *Est et alia eius epistola qua gratias Ballistae ait, in qua docet, sibi praecepta gubernandae rei p. ab eodem data, gaudens, quod eius consilio nullum adscripticium, id est vacantem, haberet et tribunum nullum stipatorem, qui non vere aliquid ageret.* — Leviter haec purganda sunt. Primum pro *ait* requiro *agit*, deinde *et* post *haberet* delendum est, quippe quod per dittographiam ultimae syllabae ortum sit; tum vero vv. *id est vacantem* uncis includantur. Scribendum ergo erit: *quod eius consilio nullum adscripticium haberet tribunum, nullum stipatorem cett.* Ascripticii tribuni eodem modo dicti sunt, quo milites ascripticii, de quibus cf. Paul. Diac. p. 14, 13.

C. 30, 11: *Quid de divo Claudio ......, qui eam .... passus esse dicitur imperare? idque occulte ac prudenter, ut illa servante orientalis fines imperii ipse securius quae instituerat perpetraret.* — Sententia postulat *consulte ac prudenter.*

Ibid. 12 [Zenobiae] *ea castitas fuisse dicitur ut ne virum suum quidem scierit nisi temptatis conceptionibus.* — Horum verborum sensus percipi nullo modo mihi posse videtur, nisi ita emendaveris: *siverit nisi temptandis,* praesertim quum deinceps haec leguntur: *nam cum semel concubuisset, exspectatis menstruis continebat se, si praegnans esset, sin minus, iterum potestatem quaerendis liberis dabat.* — Sinere h. l. eandem vim habere puta, quam vulgo admittere habet.

Ibid. 18: *Bibit saepe cum ducibus, cum esset alias sobria; bibit et cum Persis atque Armeniis, ut eos vinceret. usa est vasis aureis gemmatis ad*

[illegible] non nisi Cleopatram. — Scriptura ac con[illegible] non nisi Pisoni debetur. Codices M. S. variant inter [illegible] et [illegible] et [illegible]. Sensus perspicuum videtur [illegible] aliud latere nisi [illegible]. Cf. Tyr. trig. 32. 6: [illegible] Cleopatram habuisse perhibetur.

FLAVI VOPISCI AURELIANUS.

C. 3. 2: *Et evenit quidem, ut de eorum virorum genitali solo nesciatur, qui humiliore loco et ipsi plerumque solum genitale confingunt, ut dent posteritati de locorum splendore fulgorem.* — Huius loci sensus non intellegi mihi posse videtur, nisi *elapsi* pro *et ipsi* restituatur. Elabi h. l. valet ascendere, ut apud Verg. Geo. II, 305: *ignis Robora comprendit, frondesque elapsus in altas, Ingentem coelo sonitum dedit.*

C. 9, 4: *Quid enim in illo non clarum? quid non Corvinis et Scipionibus conferendum? ille liberator Illyrici, ille Galliarum restitutor, ille dux magni totius exempli.* — Immo vero *toties.*

C. 14, 2: *Et ego .... ideo cuncta feci, ideo vulnera patienter excepi, ideo et equos et coniuratos meos lassavi ut mihi gratias ageret res p. et conscientia mea.* — Absurde copulantur equi et coniurati. Aut fallor, aut *socios* legendum est.

C. 24, 1: *Capta autem civitas est miro modo. nam cum Heraclammon locum ostendisset aggeris naturali specie tumentem, qua posset Aurelianus cultus ascendere*, cett. — Non dubito quin *occultus*

Vopiscus scripserit. Saepius autem adiectivo usus est, ubi purior scribendi ratio adverbium postularet; cf. in hac ipsa Vita 3, 1; 16, 1; 32, 1 cett.

C. 30, 4: *Pacato igitur oriente in Europam Aurelianus redit victor atque illic Carporum copias adflixit et, cum illum Carpicum senatus absentem vocasset, mandasse e loco fertur: »Superest, p. c. ut me etiam Carpisculum vocetis."* — Deleto *e*, quod ex ultima praecedentis vocabuli syllaba bis scripta originem duxit, pro *loco ioco* substituendum est.

C. 33, 2: *Currus regii tres fuerunt, in his unus Odenati, argento auro gemmis operosus atque distinctus.* — Non satis capio quid sibi velit h. l. *operosus*. Conicio *conspersus* legendum esse.

C. 42, 5: *Vide, quaeso, quam pauci sint principes boni, ut bene dictum sit a quodam mimico scurra Claudii huius temporibus, in uno anulo bonos principes posse perscribi atque depingi.* — Scurram illum dixisse existimo: *in nani anulo*, quod nescio an aliquanto iocosius sit. Codex Palatinus habet *nano*.

FLAVII VOPISCI TACITUS.

C. 6, 2: *Omnia seria, cuncta gravia et quasi ipsa res p. iubeat, auguranda sunt.* — Luce clarius est *cauta* restituendum esse. Prorsus eodem modo in vita Claudii 9, 2 *naufragii* in *nuncfragii* depravatum invenies.

C. 17 (4), 1: *Fanaticus quidam in templo Sil-*

vani tensis membris exclamavit: »Tacita purpura, tacita purpura.'' — Immo vero *tensis manibus.*

FLAVII VOPISCI PROBUS.

C. 1, 3: *Probum principem, cuius imperio oriens, occidens, meridies, septentrio omnesque orbis partes in totam securitatem redactae sunt, scriptorum inopia iam paene necsimus.* — Parum dubium est, quin *in tutam securitatem* Vopiscus scripserit.

C. 4, 5: *Te quaeso, fili carissime, ut eum iuvenem, quem imitari pueris omnibus volo in tanto habeas honore quantum virtutes eius .... desiderant.* — Insulsa et soloeca est lectio *quem imitari pueris omnibus volo.* Conicio *pueris* primum depravatum esse ex *puberes,* deinde librarium aliquem pro *pueris omnes* emendate, ut sibi certe videbatur, scripsisse *pueris omnibus.* Restituendum ergo est *puberes omnes.*

In eod. Cap. § 5: *Huic igitur dari iubebis ... patinam argenteam librarum decem specellatam.* — Adiectivum *specellatus* inter ἅπαξ εἰρημένα numerandum est. Patinam specellatam patinam fuisse affirmant specillis i. e. parvis speculis distinctam. Non credo autem de patinis tali modo ornatis vel semel alibi mentionem factam esse, quamobrem malim *sigillatam* i. e. parvis signis seu imaginibus ornatam. Cf. Cic. Verr. IV. 14, 32: *Iubet me scyphos sigillatos ad praetorem statim afferre;* ad. Att. I. 10, 3: *putealia sigillata duo.*

C. 23, 5: *Divinitatem Probo derogent, quam*

imperatores nostri prudenter et consecrandam vultibus et ornandam templis et celebrandam ludis circensibus iudicarunt. — Pro absurdo *vultibus cultibus* substituendum est.

FLAVII VOPISCI SATURNINUS.

C. 8 inserta est lepidissima epistula Hadriani Imperatoris, in qua de Aegypto agit et de Aegyptiis. In hac epistula, § 7, haec leguntur: *unus illis deus nullus est. hunc Christiani, hunc Iudaei, hunc omnes venerantur et gentes.* — Pro *nullus* Lehrsius (apud Friedlaenderum »Darstellungen" II p. 208) rectissime *nummus* scribendum esse vidit. Miror autem virum doctissimum intacta reliquisse sequentia *omnes venerantur et gentes*, quae aptum sensum minime praebent. Corrigendum est *divites venerantur et egentes.* DIVITES presse et negligenter scriptum facillime in OMNES depravari potuit.

C. 9. 3: *Deposita purpura ex simulacro Veneris cyclade uxoria militibus circumstantibus amictus... est.* — Donec constet *cyclas uxoria* qualis tandem fuerit, *serica* legere propono.

VOPISCI CARUS ET CARINUS ET NUMERIANUS.

C. 1, 1: *Fato rem p. regi eamque nunc ad summum evehi, nunc ad minima retrahi, Probi mors satis prodidit.* — Praetulerim pro *minima infima* legere.

C. 13, 1. *Et cum quaereretur, quis vindex Numeriani iustissimus fieret, ... Diocletianum omnes .... Augustum appellaverunt, virum insignem, callidum, amantem rei p., amantem suorum et ad omnia quae tempus quaesierat statim paratum, consilii semper alti, nonnumquam tamen effrontis, sed prudentia et nimia pervicacia motus inquieti pectoris comprimentis.* — Virum consilii *semper alti, nonnumquam tamen effrontis* eum esse volunt, qui, quum semper affectus suos celet et dissimulet, interdum tamen temerarie agit et imprudenter. Etsi non praetermittendum est, si haec interpretatio recte se haberet, verba, quae deinceps sequuntur, satis otiosa esse et supervacua, non tamen nimis eam impugno, quatenus ad v. *consilii alti* pertinet. Cap. enim 15, 1, de Diocletiano scriptum est: *denique, ut erat altus, risit et tacuit.* Locutio ipsa autem defendi posse videbis, quum Curtium inspexeris, qui VI, 11 scripsit: *altiore consilio aliquid concipere.* Sed haerebis in voce *effrontis*, quod praeter hoc loco apud nullum quemquam scriptorem legitur et cui temere fere eadem vis tributa esse videtur, quam habet Franco-Gallicum v. *effronté.* Hanc ob causam Vopiscum, quem antiquiorum scriptorum imitatorem fuisse ubique apparet, *effrenis* scripsisse conicio. Deinde vero *semper alti* depravatum existimo ex *temperati.* Scriptor significare voluit, Diocletianum, virum cautum omnino et prudentem, interdum affectibus effrenatis abstrahi se passum esse.

Appendicis loco pauculos ex Ciceronis Orationibus locos addere libet.

In Antoniana I. 13, 31 *), Antonii memoriam excitat orator ad illius diei (a. d. XVI Kal. Apr.) cogitationem, quo in aedem Telluris senatu convocato praeclara oratione pacem cum praestantissimis civibus confirmasse visus erat: *Quae fuit oratio de concordia! quanto metu veterum malorum, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est, cum collegam tuum...... illo primum die collegam tibi esse voluisti.* — Lectio *veterum malorum* Halmio debetur, cui quod Codd. habent *ueterani* displicet. In editione vero, quae a. 1858 Berolini prodiit, etsi emendatione sua reiecta magis in Manutii sententiam inclinasse visus, qui *ueterani* delendum censuit, tamen vulgatam lectionem quodammodo tueri conatus est. »Wenn die Lesart richtig" inquit »und das Wort nicht ein Glossem ist, so sagt Cicero, die Veteranen, denen Caesars Tod die grössten Besorgnisse eingeflösst hatte, seien erst durch die Aussöhnung des Antonius mit seinem Collegen und mit den Verschwornen darüber beruhigt worden, dass ihnen die feierlichen Versprechungen des Senats gehalten wurden." Quae explicatio docta quidem, sed nimis contorta et quaesita videtur. Nam, ut cetera mittam, credi non potest, oratorem ante civitatem universam, primo

*) Usus sum editione Orelliana altera.

loco veteranorum mentionem fecisse, quorum animi Antonii oratione et moderatione erecti essent. Quod et viderunt Madvigius (Opusc. p. 203 not. 1) et Bakius (Schol. Hypomn. I. p. 197), qui nihil melius sibi occurrere scribit, quam ut legatur *quanto metu incerta*, *quanta sollicitudine*. i. e. *suspensa civitas*. Potius crediderim in *metuueterani* latere *metuetcura*. Cui autem *cura* et *sollicitudo* minus apte coniungi posse videntur, is inspiciat ad Att. XV. 14. A. 3; Tusc. I. 40. 96.

In Anton. II. 5. 11. *Quis autem meum consulatum praeter te Publiumque Clodium, qui vituperaret, inventus est? Cuius quidem tibi fatum, sicut C. Curioni manet.* Manendi verbum quoniam perpetuo et constanti loquendi usu accusativum requirat, plerique editores pro *tibi* et *Curioni* substituerunt *te* et *Curionem*, quod et deteriores Codd. praebent. Malim *-imanet* in *imminet* corrigere, quod huius loci sententae optime convenire nemo non videt.

In eadem Or. 25, 62: *Accessit ut Caesare ignaro, cum esset ille Alexandreae, beneficio amicorum eius magister equitum constitueretur.* Verba *cum esset ille Alexandreae* non Ciceroni, sed sedulo ludi magistro deberi existimo. Reiciatur igitur in marginem. Neque aliter sentio de v.v. *quod fas non est*, quae leguntur 34, 87: *Ideone L. Tarquinius exactus, Sp. Cassius, Sp. Maelius, M. Manlius necati ut multis post saeculis a M. Antonio, quod fas non est, rex Romae constitueretur?* Quasi vero Romani docendi fuissent, regem Romae constitui nefas esse! Prorsus simili vitio laborare videntur 27, 67: *Oceanus,*

me dius fidius, *vix videtur tot res*, *tam dissipatas*, *tam distantibus in locis positas*, *tam cito absorbere potuisse*, in quibus *tam — positas* a grammatici nescio cuius manu profecta conicio, nimis solliciti ne *dissipatas* h. l. *effusas*, *consumptas* valere putaremus.

In eadem Orat. 28. 68 haec leguntur: *Necesse est*, *quamvis sis*, *ut es*, *violentus et furens*, *quum tibi obiecta sit species singularis viri*, *perterritum de somno excitari*, *furere etiam saepe vigilantem.* — Displicet repetitio verbi furere. *Furens* intactum relinquendum censeo, sed *furere* quin emendatione egeat vix dubito. Quidni oratorem *horrere* scripsisse suspicemur, quod verborum contextum requirere apparet? — In eiusdem capitis § 69 legitur: *frugi factus est: illam suam suas res sibi habere iussit;* quam Cod. Ven. lectionem ita plerique editores emendare conati sunt, ut post *illam* insererent *mimam.* Malim pro *illam* substituere *mimulam* coll. 25. 61: *Venisti Brundisium*, *in sinum quidem et in complexum tuae mimulae.*

In Anton. V. 2, 6: *Tu civem sceleratum et perditum Gallorum et Germanorum pecunia, peditatu*, *equitatu*, *copiis instrues?* — Erit fortasse qui *copiis* delendum censeat, praesertim quum respexerit Ep. ad Fam. XV. 4, 6: *adolescens et equitatu et peditatu et pecunia paratus.* Sed *copiis* retineri posse, dummodo *peditatus*, *equitatus* gen. casu. correxeris, fragmentum docet Or. pro Fonteio IV, 8: *Frumenti maximus numerus e Gallia*, *peditatus amplissimae copiae e Gallia*, *equites numero plurimi e Gallia.*

Ibid. 4, 11: *Quid illi immanes quaestus ferendine, quos M. Antonii tota exhausit domus? Decreta falsa vendebat, regna, civitates, immunitates in aes accepta pecunia iubebat incidi.* [Haec se ex commentariis C. Caesaris, quorum ipse auctor erat, agere dicebat.] *Calebant in interiore aedium parte totius rei publicae nundinae.* — Verba, quae uncis inclusi, in nescio cuius Grammatici scholia reicienda existimo, cui praecedentia interpretatione indigere visa sunt. Interrumpunt enim et impediunt cursum orationis concitatae. — Nescio an eiusdem manus additamentum legatur in seqq. (§ 12): *Neque solum commentariis commenticiis chirographisque venalibus innumerabilis pecunia congesta in illam domum est, cum, quae vendebat Antonius, ea se ex actis Caesaris agere diceret, sed senatus etiam consulta pecunia accepta falsa referebat.* Verbis *cum — diceret* enim explicatur praecedens *commenticiis*, minime vero pecuniae in Antonii domum congestio, quod putares, si eo, quo nunc in edd. recepta sunt, ordine leguntur.

In Anton. VI. 1. 3: *Hodierno autem die nescio qua eis obiecta re remissior senatus fuit.* — In optimo Cod. Ven. haec ita leguntur: *Hodierno dies non est pene. Scio quaeis obiectarem remissior senatus fuit*, ita tamen ut *non est* punctatum sit. Quae Ravius hoc modo emendanda censuit: *Hodierno die, pacis nescio qua obiecta spe, remissior cett.*, quod laudo et probo, praesertim quum eorum rationem habeo, quae Or. in Ant. VII. 4. 13 leguntur: *postridie ad spem estis inanem pacis devoluti.* Mallem tamen Ravius cod. scripturam *diespenescioquaeisobiectarem-*

remissior pressius secutus, scripsisset: *Hodierno die spe nescio qua pacis obiecta remissior senatus fuit.*

In Anton. VIII. 2. 7: *Utrum hoc bellum non est? Etiam tantum bellum, quantum numquam fuit. Ceteris enim bellis, maximeque civilibus, contentionem rei publicae causa faciebat. Sulla cum Sulpicio de iure legum, quas per vim consul Sulla latas esse dicebat; Cinna cum Octavio de novorum civium suffragiis; rursus cum Mario et Carbone Sulla cett.* — Non uno vitio haec laborare videntur. Etsi enim negari nequit *utrum* in interrogatione interdum ita usurpatum esse, ut *an* vel-*ne* in sequentibus omitteretur, tamen non facile exemplum invenies interrogationis negativae, quae quum ab *utrum* incipiat, seqq. *an* vel *-ne* careat. Voc. *bellum* male repetitum iam Lambino displicuit. *Etiam* commate a seqq. distinguendum existimo, ut affirmationem notet, qua praecedenti interrogationi respondeatur. Voc. *Sulla* parvo intervallo repetitum non leviter offendit. Equidem post praecedens *Sulla* voc. *consul* librarii negligentia periisse conicio, similitudine seqq. literarum *cumsul-* decepti. Sequenti *consul Sulla* aequo animo carere possumus. At praeterea haec posterior sententia verbo caret, nisi *faciebat* eliciatur ex praecedentibus, quod vide, num ita fieri possit, ut non valde contorqueatur et infringatur oratio. Quae quum ita sint, haec legenda videntur: *Utrum hoc bellum*, an *non est? Etiam*, *tantum*, *quantum numquam fuit. Ceteris enim* in *bellis*, *maximeque civilibus contentionem rei publicae causa faciebant*, ut *Sulla* consul *cum Sulpicio de*

iure legum, quas per vim latas esse dicebat; Cinna cett.

In eadem Or. 3. 9: *Omnes Cafones, omnes Saxae ceteraeque pestes, quae sequuntur Antonium, aedes sibi optimas, hortos, Tusculana, Albana definiunt. Atque etiam homines agrestes, si homines illi ac non pecudes potius, inani spe ad aquas usque et Puteolos provehuntur.* — Aut omnia me fallunt, aut *immani spe* non *inani* sententia requirit.

In Anton. X. 4. 8: *Quamquam qui umquam aut ludi aut dies laetiores fuerunt, quam cum in singulis versibus populus Romanus maximo clamore et plausu Bruti memoriam prosequebatur?* — Quia inepte edatur *aut ludi aut dies*, Mommsenius emendavit: *aut ludi aut auditiones.* Codd. scriptura incerta est; *aut laudi* legitur et *au ludi;* alii *aut dies*, *aut audies* exhibent, alii *auuidis*, *aut diis.* Nisi quid melius, legendum videtur: *Quamquam qui umquam antea ludi laudis avidis laetiores fuerunt* cett.

Ibid. 11. 26: *Quis igitur is est? Aut M. Brutus aut C. Cassius aut uterque. Decernerem plane, sicut multa* [in] *consulibus, alterum ambosve, ni Brutum colligassemus in Graecia* cett. — *Multa in consulibus* (sc. decernuntur) Halmius edidit, incerta, ut ipse confitetur, coniectura. In Cod. Tegernseensi, ab ipso Halmio collato, qui alias *conss.* vel *cos.* per omnes casus et numeros habere solet, *multa consulib* legitur, in reliquis *multa consulem.* Probo Ravii emendationem, qui Ciceronem scripsisse iudicat *sicut multa solemus: alter ambove*, nisi quod *consulib* non ex *solemus*, sed ex *consuevimus* depravatum esse putarim. Hoc igitur legendum.

In Anton. XII. 1. 2: *Accessit consul hortator. At qui consul! Si prudentiam quaerimus, qui minime falli posset: si virtutem, qui nullam pacem probaret, nisi concedente atque victo.* — Non *concedente*, sed *cum cedente* legendum esse vix monere opus est.

Ibid. 17. 34 et 35: »*Quid? hoc placetne veteranis istis? quibus adhuc omnia integra sunt.*" *Nihil vidi tam integrum, quam ut oppugnare imperatorem incipiant, cum tantum studium consensumque ostenderint.* »*Quoniam vos assentationibus et venenatis muneribus venistis.*" *Depravati an corrupti sunt, quibus persuasum sit foedissimum hostem iustissimo bello persequi?* »*At militibus inclusis opem fertis.*" — V.v. *Quid—sunt*, *Quoniam—venistis*, *At—fertis* Antonii sunt in epistola, ad Hirtium et Caesarem data, cuius singulas partes Cicero oratione percurrit et examinat. *Quoniam—venistis* mendo obscurantur, quod facillime tolli posse videtur si post *vos eos* inserto *venistis* in *emistis,* i. e. *corrupistis,* correxeris. At vel sic non apte cohaerent nec cum praecedentibus epistolae vv. *quibus omnia adhuc integra sunt*, nec cum seqq. *At militibus.* Quam ob rem vv. *cum tantum studium consensumque ostenderint* Antonio tribuenda existimo. Scripserat nimirum Antonius, veteranis omnia adhuc integra esse, iis, neutri parti addictis, facere licere, quodcumque vellent. Quo Cicero: immo nihil tam iis licet, quam imperatorem oppugnare. Pergit Antonius: ideo enim tantum studium consensumque (veterani) ostenderunt, quum vos eos corrupistis. Pro sequenti *an* cum Weiskio *aut* substitui. Legendum igitur est: »*Quid? hoc placetne veteranis*

istis, quibus adhuc omnia integra sunt?" — Nihil vidi tam integrum, quam ut oppugnare imperatorem incipiant — »cum tantum studium consensumque ostenderint, quoniam vos eos *assentationibus et venenatis numeribus emistis." Depravati aut corrupti sunt cett.*

Ibid. 18. 37: *Is etiam queritur conditiones suas repudiatas; ...... ut Alaudae in tertia decuria iudicarent, id est, ut perfugium scelerum esset cum turpissimis rei publicae sordibus. — Cum*, quod in omnibus Codd. legitur, quia h. l. ineptum sit, variis coniecturis viri docti usi sunt ad locum sanandum, quarum tamen nulla probabilis videtur. Nescio an Cicero scripserit non *cumturpissimis*, sed *contemptissimis.*

In Anton. XIV. 5. 13: *Etiam in eos, qui omnes suas curas in rei publicae salute defigunt, impetus crimen invidiaque quaeretur.* — Locum, ut nunc in edd. vulgo legitur, pro corrupto habendum esse, recte Halmius annotavit. Quoniam *impetus crimen invidiaque* absurde scriptum sit, aut *impietatis crimen invidiaque*, aut *crimen invidiaque* deleto *impetus* corrigendum censet. Quorum neutrum probo. Medicina petenda videtur ex Acad. II. 15. 46: *Adversatur enim primum, quod parum defigunt animos et intendunt in ea, quae perspicua sunt.* Etiam nostro loco olim scriptum esse conicio *qui omnes suas curas in rei publicae salutem defigunt et intendunt, crimen invidiaque quaeretur.*

De Imp. Cn. Pomp. 7. 18: *Etenim primum illud parvi refert, nos publicanis amissis vectigalia postea victoria recuperare; neque enim isdem redimendi*

facultas erit propter calamitatem, neque aliis voluntas propter timorem. — Mendo haec verba obscurari recte Halmius annotavit (in ed. Berol. a. 1858). Quam vero proposuit emendationem: *nos publicanorum bonis amissis vestigalia posse ipsa victoria recuperare* nimis temeraria videtur, nisi quod iure *posse* scripserit, quia *postea* h. l. non praesens, sed futurum tempus requirit. Non magis placet Mommsenii coniectura, *nos publica his amissis* (sc. vectigalia) *postea* scribentis. Equidem v. *publicanis* ludi magistro nescio cui deberi suspicor, quod, quum explicandi causa supra sequens *isdem* olim scriptum esset, librariorum culpa ex suo loco migraverit, quo facto *amissa* in *amissis* abierit. Legendum igitur est: *nos amissa vectigalia posse ipsa victoria recuperare.*

Ibid. 9. 22: *Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, quam praedicant in fuga fratris sui membra in iis locis, qua se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio dispersa maerorque patrius celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens maximam vim auri atque argenti pulcherrimarumque rerum omnium, quas et a maioribus acceperat et ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Haec dum nostri colligunt omnia diligentius, rex ipse e manibus effugit. Ita illum in persequendi studio maeror, hos laetitia tardavit. Hunc .... Tigranes ..... excepit.* — V.v. *Ita illum-tardavit* spuria sunt et suppositicia. (In 2 optim. Codd. post *illum* insertum est *a tam* i. e. Aëtam,

ut Halmius vidit). Primum enim verborum contextum et continuationem impediunt, si quidem *hunc*, a quo postrema incipit periodus, quodque nunc iure reprehendi possit, illis deletis demum cum praecedenti *rex* apte cohaeret. Deinde a totius loci sententia prorsus abhorrent. Toto enim loco hoc agitur, ut Mithridatis et Medeae dolus, minime vero ut Medeae patris, obiter tantum commemorati, maeror et militum Romanorum laetitia inter se comparentur, quos praeterea non laetitiam, sed avaritiam in persequendo tardavisse crediderim.

Pro Sestio 5. 12: *Si M. Petrei non excellens animus..... exstitisset, neque adiutor ei P. Sestius ad excitandum Antonium, cohortandum, accusandum, impellendum fuisset, datus illo in bello esset hiemi locus.* — Quid facies quaeso illo *accusandum*, a verborum contextu prorsus alieno? In vetustioribus edd. litura deletum est. Potius crediderim, Ciceronem *acuendum* h. l. scripsisse. Acuere excitandi vim et potestatem et alibi habet, et pro S. Rosc. Am. 38. 110, pro Lig. 4. 10.

Pro Milone 21. 56: *Adde casus, adde incertos exitus pugnarum Martemque communem, qui saepe spoliantem iam et exsultantem evertit et perculit ab abiecto.* — Malim *avertit et pepulit* coll. pro Caecina 12. 33: *qui in pace et otio.... repulerit.... averterit.* Contraria ratione non *pepulit*, sed *perculit* legendum est ad Div. 4. 13. 2: *Quamquam enim nulla me ipsum privatim pepulit insignis iniuria* cett.

Ibid. 22. 60: *Subito abrepti in quaestionem tamen separantur a ceteris et in arcas coniciuntur, ne*

quis cum iis colloqui possit. — Qui subito in quaestionem abrepti sunt, eos in carcere a ceteris captivis separari, ex ipsa, opinor, rei natura sequitur. Quamobrem expungatur molestum emblema *tamen.*

Ibid. 25. 67. *Si Milonem times, si hunc de tua vita nefarie aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas, si Italiae delectus ..... si delecta iuventus .... contra Milonis impetum armata est ..., magna in hoc certe vis et incredibilis animus et non unius viri vires atque opes iudicantur.* — Inepte editur *magna in hoc ... vis ... et non unius viri vires.* Si recte locum intellego, *vis* spuria vox est. Omnia rite et ordine procedunt, si emendaveris *magna in hoc certe virtus et incredibilis animus* cett.

Ibid. 25. 69. *Quod si locus Miloni datus esset, probasset profecto tibi ipsi, neminem umquam hominem homini cariorem fuisse quam te sibi.* — Nisi omnia me fallunt, non *ipsi*, sed *ipse* legendum est. In proxime seqq. *quae si non probaret, si tibi ita penitus inhaesisset ista suspicio, ... cessisset patria,* corrigendum esse *probasset* vix admonitione eget.

Pro Caelio 6, 14, postquam satis copiose orator de Catilinae et Caelii necessitudine disseruit et id egit, ut auditoribus persuaderet, ne eos tam artis amicitiae vinculis coniunctos fuisse crederent, ut Caelius in coniuratorum numero fuisset, ita concludit: *Qua re ista conditio, iudices, respuatur, nec Catilinae familiaritatis crimen haereat.* — Ferri nequit *conditio*, quod omni sensu caret. Facile apparet *suspitio* veram lectionem esse, quum ad ea verba respexeris, quibus hic locus introducitur, 4, 10:

Nam quod Catilinae familiaritas obiecta Caelio est, longe ab ista suspitione abhorrere debet.

Ibid. 28, 67: *Sed me audiant: navent aliam operam, aliam ineant gratiam, in aliis se rebus ostentent, vigeant apud istam mulierem venustate, dominentur sumptibus, haereant, iaceant, deserviant, capiti vero innocentis fortunisque parcant.* — Improbanda videtur lectio *in aliis se rebus ostententent*, quum constans et certus loquendi usus requirat vel *ostentare naturam* s. *indolem suam*, vel *se ostentare*, *qualis* s. *qui sis.* Corrigendum puto *aliis se rebus sustentent*, quod apte cum loci sententia convenit. Ex ultima litera v. *gratiam*, bis scripta, *in* ortum esse facile apparet.

In fine adiciam tres ex Caesaris Commentariis locos, qui editorum neglegentia nondum ab omni mendo puri videntur.

Libro de Bello Civili III, C. 74 in iis rebus narrandis Caesar versatur, quae post cladem ad Dyrrachium acceptam gestae sunt. Praecedenti capite legitur, eum a superioribus consiliis depulsum, omnem belli rationem sibi commutandam existimavisse. Quamobrem uno tempore praesidiis omnibus deductis et oppugnatione dimissa coactoque in unum locum exercitu contionem eum habuisse, qua milites hortatus esset, ne ea, quae accidissent, graviter ferrent. Deinde in hunc modum pergit: *Hac habita contione nonnullos signiferos ignominia notavit ac loco movit. Exercitui quidem omni tantus incessit ex incommodo dolor, ut ..... omnes arderent cupiditate pugnandi,*

cum superioris etiam ordinis nonnulli ratione permoti manendum eo loco et rem proelio committendam existimarent. Contra Caesar neque satis militibus perterritis confidebat, spatiumque interponendum ad recreandos animos putabat, et ***relictis munitionibus magnopere*** *rei frumentariae timebat.* — Iam D. Vossius ad hunc locum annotavit: »Nunquam ita scripserat Caesar; nam certum est ad Dyrrachium manenti metuendam fuisse famem. Ideoque alia loca petenda erant." At non viro doctissimo contigit ita locum corruptum purgare, ut, quam indicavisset difficultatem, aliquatenus tolleret. Post eum permulti editores ingenti labore ac studio lectionem vulgatam tueri conati sunt. Qui tamen omnes operam et oleum perdidisse videntur. Tantum enim abfuit, ut Caesar timeret, ne tum demum frumenti inopia laboraret, quum munitiones reliquisset, ut contra haec ipsa inopia vel praecipua causa esset, ob quam munitiones illas quam primum relinquere statuit. Parum igitur dubium est, quin vitiosa lectio in libros irrepserit. Ut autem quid re vera olim scriptum sit reperirem, recurri ad Commentarios de vita I. Caesaris, qui, olim Iulii cuiusdam Celsi nomine circumlati, nunc Petrarcae vulgo tribuuntur. In his saepe prorsus eadem, quae apud ipsum Caesarem leguntur, sed brevius plerumque scripta, vides, ita ut perpetua Commentariorum paraphrasis fere dici possit. Petrarca autem, vel quicunque illius libelli scriptor fuit, libro usus esse videtur, correctius scripto, iis ex quibus nostri Codices manarunt. Habet enim Petrarca: *neque praeterea tam hostem, quam fru-*

menti inopiam metuendam eo loci manentibus iudicabat. Etenim legerat sine dubio apud Caesarem: *spatiumque interponendum ad recreandos animos putabat et* ***iis locis manentibus inopiam*** *rei frumentariae timebat.*

Eadem ratione corrigi potest locus in libro II de Bello Gallico, 6, 2: *Ubi circumiecta multitudine hominum totis moenibus undique in murum lapides iaci coepti sunt murusque defensoribus nudatus est, testudine facta portas succedunt murumque subruunt.* — Quia milites testudine facta non solas portas sed murum totum successisse ratio doceat, nonnulli editores, inter quos Kranerus, *portas* uncis incluserunt. At Petrarca duce satis tuto pro *succedunt* corrigere potes *incendunt.* Apud eum enim legitur: *denique iam murum dirui, iam portas incendi* cett.

De bello Gallico I, 33, 1: *His rebus cognitis Caesar Gallorum animos verbis confirmavit pollicitusque est sibi eam rem curae futuram: magnam se habere spem, et beneficio suo et auctoritate adductum Ariovistum finem iniuriis facturum.* — Antiquitus scriptum esse videtur *et beneficio suo et auctoritate P. R.* coll. Celso, vel si mavis Petrarca: *et sperare, Ariovistum hinc Romani nominis maiestate, hinc privatis suis in eum meritis sponte temperaturum ab iniuriis.* In Graeca paraphrasi legitur: μεγάλας γὰρ ἐλπίδας ἔχειν τὸν Ἀριόβιστον πολλὰ ὑφ' αὐτοῦ τε καὶ τῶν Ῥωμαίων εὐεργετηθέντα, παύσεσθαι τῆς ὕβρεως.

FINIS.